


JOSEPHI JACOBI PLENCK

Chirurgiæ Doctoris, nec non Chirurgiæ, Anatomes atque artis obstetriciæ Professoris Regii, publici ac ordinarii in Regia Universitate Budensi.

PHARMACOLOGIA CHIRURGICA

SIVE

DOCTRINA DE MEDICAMENTIS, QUÆ AD CURATIONEM MORBORUM EXTERNORUM ADHIBERI SOLENT.



VIENNÆ,

Apud Rudolphum Græffer. 1782.

Non ex vulgi opinione, ſed ex ſano judicio

Bacon.

EXCELLENTISSIMO

AC

ILLUSTRISSIMO

DOMINO

FRANCISCO

E COMITIBUS

ESZTERHÁZY

DE GALANTHA

PERPETUO COMITI IN FRAKNO;

AUREI VELLERIS,

AC UNA INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI

MAGNÆ CRUCIS EQUITI,

SACRATISSIMÆ CÆSAREO-REGIÆ APOSTOLICÆ MAJESTATIS

CAMERARIO,

ET ACTUALI INTIMO STATUS

CONSILIARIO,

INCLYTI COMITATUS MOSSONIENSIS

SUPREMO COMITI,

PER INCLYTUM REGNUM HUNGARIÆ AULÆ,

PROUT ET DICTI ORDINIS S. STEPHANI

CANCELLARIO,

NEC NON


PER IDEM INCLYTUM REGNUM HUNGARIÆ CURIÆ REGIÆ

MAGISTRO.

HOC SUI CULTUS MONUMENTUM

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR



PRÆFATIO.

In nulla chirurgiæ parte tam parum laboris ac operæ posuerunt rerum chirurgicarum scriptores, neque ulla in scholis tam parce traduntur, quam Pharmacologiæ chirurgicæ elementa, unde fit, ut potissima chirurgorum pars non nisi levem quamdam & empyricam solummodo habeat suorum medicamentorum notitiam; undeque etiam evenit, ut inconcinna ratione utplurimum ea præscribat.

Multi quidem insignes Materiæ medicæ scriptores in operibus suis immemores haud fuere remediorum chirurgicorum. Verum hæc adeo sparsa, distracta, extraque chirurgicum ordinem posita deprehenduntur, ut tiro chirurgiæ claram de suis medicamentis notionem ex his libris sibi parare nequeat. Huc accedit, quod novelli chirurgi rarius vasta materiæ medicæ opera, quatenus hæc Materiam chirurgicam tangunt, legere soleant.

Hæc ratio est, cur jam anno 1771, cum cathedra chirurgiæ mihi benignissime ab immortalis

memoriæ Principe MARIA THERESIA collata esset, ante omnia systema quodpiam Pharmacologiæ chirurgicæ adornare tentarim. Fuit hoc opus ab illo tempore ter jam prælo renovatum; at cum jam intelligam complures discipulorum meorum idioma, quo liber ille conscriptus est, omnino ignorare, aliquos non satis callere, eo factum est, ut librum hunc latine redderem, quo ejus utilitas latius manaret et eundem insimul, ut usibus scholasticis esset adcommodatior, in meliorem ordinem redegi.

Addidi demum præsenti editioni classes illorum remediorum, quæ ad sanandos morbos chirurgicos interne adhiberi debent. Voco hanc novam doctrinam *Materiam medico-chirurgicam*, ut a simplici *Materia chirurgica*, quæ externa solummodo spectat remedia, discreparet.

Debuissem forsan in hac lucubratione non adeo multorum sed usitatissimorum solummodo remediorum injicere mentionem, ut nonnulli voluere, at novellus chirurgus etiam inertium, obsoletorum & nondum plane quoad vires medicas notorum remediorum notionem acquirat, necesse est, ut far-

raginem inconcinnam quarumdam formularum compositarum certius dijudicare valeat, utque cum medicamentis, quorum virtus medica nonnisi parum adhuc perspecta est, nova instituere possit tentamina atque vires illorum detegere.

Tironi sufficere existimabam, si præter singulorum medicamentorum nomen, quo ea in officinis pharmaceuticis, & quo in systemate *Illustris* LINNÆI insigniri solent, odorem, saporem, vim medicam & morbos, in quibus remedium singulum cum vel absque fructu adhibitum fuit, stilo aphoristico adnotarem. Ne vero opus sua natura jam amplum, magis adhuc sine utilitate excresceret, eos solummodo citavi authores, qui remedium aliquod peculiari tentamine illustrarunt, nullius autem mentionem feci, si sermo erat de medicamento, cujus virtutem medicatam omnes uno ore indicant Materiæ medicæ scriptores. Inter quos Illustrium Virorum CRANZII, SPIELMANNI, GEOFFROI, CARTHEUSERI, GLEDITSCHII, HALLERI, LINNÆI, BERGII lucubrationes egregias ac quod his pal-

mam præripit, Illuſtris MURRAYI opus omni laude majus intelligo.

Illud autem vos obſervare velim, Auditores optimi, præſentem libellum, quod libris, qui in uſum ſcolaſticum ſcribuntur, commune omnibus ſit oportet, primas ſolum lineas ſcientiæ hujus complecti; Cætera vero, quæ aut omnino deſiderantur aut nonniſi carptim perſtringuntur, viva voce in commentario ſcholaſtico percepturi eſtis.



ELENCHUS



ELENCHUS

PHARMACOLOGIÆ CHIRURGICÆ.



De Pharmacologia chirurgica generatim.

ALTERANTIA PARTIUM SOLIDARUM.

Emollientia

Adſtringentia.

Roborantia.

Conſolidantia.

Cicatriſantia.

Anodyna.

Comprimentia.

Adhæſiva.

Dilatantia.

Irritantia.

Rubefacientia.

Veſicantia.

Cauſtica.

Depilatoria.

Excitantia.

ALTERANTIA PARTIUM FLUIDARUM.

Resolventia.

Antiphlogistica.

Inspissantia.

Coagulantia.

Maturantia.

Digestiva.

Detergentia.

Exsiccantia.

Humectantia.

Lubricantia.

Obvolventia.

Abluentia.

Hæmostatica.

Refrigerantia.

Calefacientia.

Revellentia.

Attrahentia seu derivativa.

Repellentia.

Antiſeptica.

Septica.

EVACUANTIA.

Deplentia ſanguinis.

——— ſeri.

——— puris.

——— urinæ.

——— materiæ perſpirabilis.

——— lactis.

——— muci narium.

——— ſalivæ.

——— muci faucium.

——— ventriculi.

——— inteſtinorum.

SPECIFICA.

Antivenerea.

Antiſcabioſa.

Anticancroſa.

Anticarioſa.

Antidota.

Anthelmintica.

Antipthyriaca.

Sympathetica.

Aërem depurantia.





DE PHARMACOLOGIA.

CHIRURGICA GENERATIM.

Scientia, quæ medicamentorum ad morbos chirurgicos profligandos aptorum virtutem, uſum & applicationem docet *Pharmacologia chirurgica* vocatur.

Dividitur hæc ſcientia in tres partes

1. in *materiam chirurgicam*, quæ medicamenta ſimplicia *externe* applicanda tradit.
2. in *materiam medico-chirurgicam*, quæ medicamenta ſimplicia *interne* ad curandos morbos externos adhibenda conſiderat.
3. in *pharmaciam chirurgicam*, quæ medicamentorum *præparatorum* & *compoſitorum* ad morbos chirurgicos applicandorum vires expendit.

Medicamentum externum vocatur ens, quod morbum alicujus partis, cui applicatur, ſua virtute medicata aufert.

Agunt medicamenta externa ſuis principiis conſtitutivis quadruplici via in partem, cui applicantur. Principia conſtitutiva medicamenti nempe ſe inſinuant

1. *Poris inorganicis fibrarum*, quæ epidermidem & cutem conſtituunt.
2. *Poris inorganicis*, quæ a cute *in telam celluloſam* pergunt. Hac via poſſunt medicamenta a cellula in cellulam uſque ad oſſa pervenire.
3. *Venis abſorbentibus vaſorum abſorbentium* ope quorum per vaſa lymphatica ſanguinis maſſæ inferuntur.
4. *Vaſis exhallantibus* ſaltem vacuis, quæ vim bibulam, ut omnia vaſa capillaria exercent.
5. *Nervis cutaneis*, qui conſenſu ſuo in vaſa partis affectæ & quandoque in partes remotiores agunt.

Dividuntur medicamenta

1. Reſpectu *regni naturalis*, e quo depromuntur
   in *vegetabilia*, quæ e vegetabili
   — *animalia*, quæ ex animali.
   — *mineralia*, quæ e minerali regno deſumuntur.
2. Reſpectu *præparationis.*
   in *ſimplicia*, quæ immutata, prout natura offert, adhibentur.
   — *præparata*, quæ arte pharmaceutica immutantur.
   — *compoſita*, quæ e pluribus ſimplicibus vel præparatis conflantur.
3. Reſpectu *indolis* principiorum conſtitutivorum dividuntur in oleoſa, aquoſa, aromatica, auſtera, &c.

4. Respectu autem *virium medicatricium* habentur sequentes medicamentorum classes.

EMOLLIENTIA.

Sunt medicamenta, quæ fibras partis reddunt laxiores.

Indicantur in morbis, qui a fibrarum rigiditate, robore nimio, tensione vel spasmo oriuntur. Hinc conveniunt in contractura, indurationibus, dolore, ulceribus callosis, vulneribus contusis &c.

Emollientia sunt

Aquosa tepida ut

Aqua tepida.
Vapor aquæ.

Oleosa.

Oleum lini.
—— amygdalarum
—— olivarum.

Pinguia

Sevum hircinum
Butyrum vaccinum
—— Cacao.
Axungia porcina.

Lactea.

lac vaccinum
Cremor lactis.

Mucilaginea

Herba malvæ

Herba verbaſci
Radix altheæ.
Semen lini.

Amylacea

Farina tritici
—— hordei
—— avenæ.

ADSTRINGENTIA.

Quæ fibras partium ſine ſtimulo contrahunt.

Indicantur in morbis, qui a nimia laxitate fibrarum proveniunt, ut ſunt herniæ, prolapſus, laxitas uvulæ, articuli, inflammatio ab atonia vaſorum.

Adstringentia ſunt

Auſtera vegetabilia ut

Radix biſtortæ
—— tormentillæ.
Cortex granati
—— querci
Gallæ turcicæ.
Flores balauſtiorum
—— roſarum rubrarum.

Metallica.

Vitriolum
Saccharum ſaturni
Ferrum.
Zincum.

Acida mineralia.

Spiritus vitrioli

—— ſalis.

Alumen.

Aquoſa frigida

Aqua frigida

—— calcis

Glacies

Nives.

ROBORANTIA.

Quæ fibras partium ſtimulo aromatico vel amaro contrahunt.

INDICANTUR in morbis ab inertia nervorum & fibrarum ortis.

ROBORANTIA ſunt

1. *Aromatica* ut

Salvia

Mentha

Melliſſa

Roſmarinus

Flores lavendulæ

—— arnicæ

—— chamomillæ

Anethum

Thymus

Serpillum

Origanum.

2. *Amara*

Abſynthium

Marrubium
Ruta.
Trifolium fibrinum
Centaureum minus
Chamædris
Chamæpitis
Carduus benedictus
Cortex peruvianus

3. *Spirituosa.*

ſpiritus vini ſimplex
——— ——— camphoratus
ſpiritus roſmarini.
vinum album
——— rubrum

4. *Aquosa frigida.*

Aqua frigidiſſima, quæ frigore ſuo ut ſtimulo agit.

CONSOLIDANTIA.

Quæ vulnerum & ulcerum ſanationem promovent.

Indicantur in vulneribus & ulceribus puris.

Hæc remedia aerem a vulnere arcent, ne illo exſiccetur vel inflammetur, reſiſtunt corruptioni puris in vulnus effuſi, vaſa ſoluta in diametro conſervant, quæ nec nimis ampla nec nimis ſtricta ſit.

Veteres hæc remedia dicebant *ſarcotica*, ſeu *carnem generantia*, at hanc ſola *Natura* ſub blando pure regenerat.

Consolidantia ſunt

1. *Balſamica emollientia* ſeu Balſama nativa ovi vitello, vel pinguibus temperata, ne nimis irritent. Conveniunt hæc in vulnere ſicciori.

Balſamus peruvianus
——— de mecca.
——— Arcæi
Unguentum de ſtorace
——— digeſtivum

2. *Balſamica roborantia*, quæ in vulnere laxiori conveniunt.

Aqua vulneraria ſimplex
——— Thediana
Balſamus Commendatoris
Eſſentia myrrhæ.
——— ſuccini
——— corticis peruviani.
——— maſtichina.

3. *Balſamica detergentia*, quæ acritate quadam agunt. Conveniunt in vulneribus & ulceribus impuris. Vide *Detergentia*.

CICATRISANTIA.

Quæ vulnerum & ulcerum cicatriſationem promovent.

Indicantur in vulneribus & ulceribus carne impletis quidem, at tamen ſua ſponte cicatricem non contrahentibus.

Cicatrisantia ſunt

1. *Terrea* ut
bolus armena

2. *Calces metallicæ.*
flores zinci
Minium
Cerussa
Extractum saturni
lapis infernalis.

3. *Corpora sicca.*
linteum carptum.

4. *Adstringentia*
alumen ustum.
Aqua Thediana.

ANODYNA.

Quæ dolorem in quadam parte sistunt.

INDICANTUR a dolore quocunque admodum gravi, ut in ulceribus & tumoribus valde dolentibus.

ANODYNA propria sunt plantæ narcoticæ, ut
Folia hyosciami
—— stramonii.
Capita papaveris.
Opium
Laudanum liquidum.

Anodyna *impropria* sunt omnia emollientia, obvolventia & plumbata, quæ ultima dolorem inflammatorium sæpe sistunt.

COMPRIMENTIA.

Quæ vi mechanica partes molles comprimunt.

INDICANTUR in morbis a laxitate partium natis: ut oedemate, varice, aneurifmate, carne fungofa ulcerum, hernia.

COMPRIMENTIA funt remedia mechanica ut

Fafcia circularis
—— expulfiva
Laminæ plumbeæ.
Tornaculum

ADHÆSIVA.

Quæ cuti & aliis partibus tenaciter adhærent.

INDICANTUR, fi labia vulneris futura emplaftica unienda, fi cruftæ tineofæ capitis detrahendæ.

ADHÆSIVA funt

Pix
Refina
Calx plumbi oleo foluta
Cera

DILATANTIA.

Quæ orificia nimis angufta dilatant.

INDICANTUR in nimia anguftia vulnerum, ulcerum, orificiorum, aut canalium, ut urethræ, vaginæ, ani.

DILATANTIA ſunt

Radix gentianæ
Spongia filo involuta, quibus orificia fiſtuloſa
—— *cerata*
Injectio,
Cereolus, quo urethra contracta dilatatur.

IRRITANTIA.

Quæ nervos, vaſa & fibras nimis torpidas ad validiorem actionem ſtimulant.

INDICANTUR in morbis a torpore & inertia fibrarum obortis. Ut in ſuppuratione nimis parca, in exfolliatione cariei acceleranda.

IRRITANTIA ſunt

Acria ut
Ruta
Sinapis.
Scordium.
Sal ammoniacum.
Tinctura cantharidum
Arum
Euphorbium.

RUBEFACIENTIA.

Quæ ſuo ſtimulo parti, cui applicantur, ruborem inducunt.

INDICANTUR ab *inertia* vaſorum, & nervorum, a *revulſione* facienda ab aliis partibus.

Rubefacientia ſunt

Allium
Euphorbium
Eſula
Flammula
Piper
Sinapi
Ruta
Pyrethrum.
Fermentum panis.
ſemiveſicatorium
Galbanum
Alumen plumoſum.

VESICANTIA,

Quæ cuti applicata epidermidem in veſicam aqua plenam elevant.

Indicantur. Si nervorum & vaſorum inertia *ſtimulum* exigit.

ſi *revulſio* facienda e locis diſſitis

— *derivatio* humorum in quamdam partem facienda: ut in eryſipelate vel morbo cutaneo retrogreſſo.

— *evacuatio ſeri* e quadam parte facienda: ut in tumore rheumatico vel albo articulari, in vulnere a cane rabido inflicto.

— *epidermis* ſeparanda: ut in callo, clavo, herpete V. *Cantharis.*

Vesicantia ſeu *epiſpaſtica* ſunt

Pulvis cantharidum.

CAUSTICA.

Quæ partem cui applicantur, consumunt.

Indicantur si abscessus aperiendus, hydrocele evacuanda, caro fungosa auferenda, caries exstirpanda.

Caustica sunt

1. *Acida mineralia.*

Oleum vitrioli.
Spiritus salis concentratus,
Spiritus nitri fumans.
Liquor Bellostii
Oleum camphoræ causticum.
Alumen ustum.
Arsenicum album.
——— citrinum.
Auripigmentum.

2. *Alcalina.*

Lapis causticus.
Spiritus salis ammoniaci causticus.
Lixivium saponariorum.
Liquor nitri fixi.
Oleum tartari per deliquium.

3. *Metallica.*

Butyrum antimonii.
Vitriolum cupri.
Viride æris.
Lapis infernalis.

Mercurius

Mercurius præcipitatus ruber
——— ſublimatus corroſivus.

Animalia.

Cantharides.

Vegetabilia.

Gummi Euphorbii.
Flammula jovis.
Oleum caryophillorum.

Terrea

Calx viva.

DEPILATORIA.

Quæ pilos e cute auferunt.

Indicantur in hirſutie præternaturali alicujus partis.

Depilatoria ſeu *Psylotra* ſunt

Calx viva.
Auripigmentum.
Ranunculus.
Spiritus ſalis dulcis.
dropaces e pice vel reſina.

EXCITANTIA.

Quæ ſyncopticos excitant.

Indicantur, ſi ſyncope, ſopor, aſphyxia quempiam corripit.

Excitantia ſunt.

Sal volatilis naſalis.

Spiritus ſalis ammoniaci.
Acetum concentratum, ſeu Naphtha aceti.
Spiritus melliſſæ.
Adſperſio aquæ frigidæ.
Balneum calidum.
Inflatio pulmonum.
Frictio corporis.
Electriſatio.

ALTERANTIA
PARTIUM FLUIDARUM.

Quæ maximam partem in humores agunt.

RESOLVENTIA TUMORUM FRIGIDORUM.

Quæ tumores frigidos reſolvunt.

INDICANTUR in tumoribus induratis, cyſticis, aquoſis.

RESOLVENTIA ſunt.

Amara.

Abſynthium
Marrubium
Trifolium fibrinum
Centaureum minus
Chamædrys
Chamæpytis
Carduus benedictus.

Aromatica.

Mentha
Mellissa
Salvia.
Rosmarinus.
Ruta.
Arnica
Chamomilla.
Flores sambuci.
Melilotus.
Betonica.
Lavendula
Hyssopus.

Amaricantia.

Alliaria
Scordium
Millefolium
Abrotanum
Lupulus
Cortex peruvianus
Matricaria
Aristolochia

Saponacea

Sapo venetus
—— Starkeanus
Saponaria.

Empyreumatica.

Oleum tartari foetidum
—— philosophorum

Fuligo

Oleum animale Dippelli

Gummi-resinosa.

Gummi ammoniacum.

Asa foetida.

Opopanax

Bdelium.

Galbanum.

Camphora.

Aloë

Mercurialia

Solutio aquosa sublimati

Unguentum neapolitanum

Emplastrum de ranis. cum mercurio.

Acria.

Cantharidum tinctura, emplastrum

Bryonia.

Aerëa

Aer fixus.

— inflammabilis.

Narcotica.

Opium

Crocus

Mandragora

Belladona.

Cicuta.

Nicotiana.

Aquosa.

Vapor aquæ calidæ.

Fomentum ex aqua calida.
Thermæ aeratæ

Acida.

Acetum vini

Alcalina.

Sal tartari
— ſodæ
Spiritus ſalis ammoniaci valde dilutus
Unguentum volatile.

Salſa

Spiritus Mindereri
Sal ammoniacum
Nitrum
Borax

Sulphurea

Sulphur
Petroleum
Thermæ ſulphureæ.
Hepar antimonii.

ANTIPHLOGISTICA.

Quæ inflammationem auferunt.

INDICANTUR in tumoribus inflammatoriis.

ANTIPHLOGISTICA repellentia, quæ in inflammatione a vaſorum atonia orta: ut a commotione cerebri, contuſione, diſtorſione, luxatione, fractura, conveniunt, ſunt

Aqua frigida.
Solutio ſalis ammoniaci & nitri.
Oxycratum
Vinum album — rubrum
Saccharum ſaturni.
Alumen
Aqua Vegetomineralis
—— Thediana valde diluta.
Vinum cum herbis amaris vel
—— —— —— aromaticis infuſum
Spiritus vini dilutus
Foeces vini aqua dilutæ.
Decoctum corticis.

ANTIPHLOGISTICA emollientia, quæ in inflammatione, quæ cum nimia fibrarum tenſione, dolore & duritie ſtipatur, aut quæ in ſuppurationem abire debet, conveniunt, ſunt anodyna cum emollientibus ut

Mica panis in lacte cocta
Semen lini in lacte coctum
—— —— in aqua vegeto minerali coctum.

ANTIPHLOGISTICA anodyna. ſunt,

Folia hyoſciami
—— ſtramonii.
—— cicutæ.
Crocus.
Capita papaveris cum lacte cocta.

INSPISSANTIA.

Quæ humores inſpiſſant.

INDICANTUR in pure nimis tenui, in acrimonia saniei.

INSPISSANTIA sunt

Mucilago gummi arabici
——— seminum cydoniorum
Amylum.
Bolus armena.
Spongia sicca.

COAGULANTIA.

Quæ sanguinem coagulant.

INDICANTUR in hæmorrhagia compescenda.

Alcohol vini
Acidum vitrioli.
Vitriolum album
——— coeruleum
Alumen.

MATURANTIA.

Quæ pus seu suppurationem in tumoribus movent.

INDICANTUR in tumoribus inflammatoriis non resolvendis.

MATURANTIA tumorum sunt emollientia cum irritantibus mixta.

Leniora.

Mica panis albi in lacte cocta,

Butyrum.
Vitellus ovi.
Semen lini
Hb. malvæ
— altheæ.
Caricæ pingues in lacte coctæ.
Radix lilii albi
Emplastrum diachilon simplex.
——— ——— cum gummatibus.
Unguentum basiliconis.
Farina cum melle subacta

Acriora

Cepa vel
Allium, cum melle vel oleo cocta
Gummi galbanum oleo solutum.
Tinctura cantharidum.

DIGESTIVA.

Quæ pus in vulneribus & ulceribus movent.

Indicantur in vulneribus contusis & aliis, quæ per suppurationem sanari oportet, demum in ulceribus siccis.

Digestiva sunt, quæ emolliunt & simul leni stimulo irritant

Balsamus Arcæi
Therebinthina cruda vitello ovi subacta.
Unguentum basiliconis.
Balsama nativa sevo subacta.
Mel.

DETERGENTIA.

Quæ ulcera et vulnera detergunt.

INDICANTUR in vulneribus & ulceribus ſordidis, ut ſemimortua vaſorum extrema, ſuperficiem ulceris conſtituentia, a vivis abſcedant partibus.

DETERGENTIA ſunt quæ leni ſtimulo irritant, ſolvunt.

Amara.

Carduus benedictus
Centaureum minus
Ariſtolochia.
Trifolium fibrinum
Gentiana.

Balſamica.

Myrrha
Aloe
Balſamus copaivæ.

Acria.

Iris
Ari radix.
Sabina.
Flammula jovis
Viride æris
Unguentum ægyptiacum

Dulcia

Mel.
Saccharum.

Salina.

Sal ammoniacum.

Mercurialia.

Mercurius dulcis

——— præcip. ruber.

Solutio ſublimati corroſivi.

Aqua phagadenica.

EXSICCANTIA.

Quæ nimiam ulceris humiditatem abſorbent.

Indicantur in vulneribus & ulceribus pus nimis tenue plorantibus.

Exsiccantia ſunt

Plumaceola ſicca.

Bolus armena.

Lapis calaminaris

Tutia

Pompholix

Flores zinci.

Ceruſſa

Minium

Lythargyrus.

Saccharum ſaturni.

Camphora

Olibanum

Maſtiche.

HUMECTANTIA.

Quæ partem ſiccam reddunt humidam

Indicantur in ſiccitate vulnerum, ulcerum, cutis, oris, linguæ.

Humectantia ſunt

Aqua tepida
Lac.
Decoctum hordei.

LUBRICANTIA.

Quæ parti lubricitatem inducunt.

Indicantur in ſiccitate partium, quæ lubricæ eſſe deberent, ut vaginæ, ani, oeſophagi.

Lubricantia ſunt

Oleoſa.

Oleum lini
——— olivarum
——— amygdalarum

Pinguia.

Butyrum
Axungia.

Mucilaginoſa.

Mucilago gummi arabici.
——— ſeminum pſillii.
——— rad. altheæ.

OBVOLVENTIA.

Quæ acrimoniam vel partem excoriatam involvunt.

Indicantur in acrimonia, dolorem vel excoriationem inferente.

OB VOLVENTIA ſunt

Mucilaginoſa

Mucilago gummi arabici
——— rad. altheæ.

Oleoſa.

Oleum lini
——— olivarum
——— amygdalarum.

Pinguia.

Butyrum
Axungia.

ABLUENTIA.

Quæ ſordes a quadam ſuperficie abluunt

INDICANTUR in ſorditate corporis, capitis, vulnerum, ulcerum.

ABLUENTIA ſunt

Aquoſa.

Aqua ſimplex
Balneum.

Saponacea.

Sapo venetus in aqua vel lacte ſolutus.

HÆMOSTATICA.

Quæ hæmorrhagiam ſiſtunt.

INDICANTUR in hæmorrhogia vulnerum.

HÆMOSTATICA five *ISCHÆMA* funt

Spirituofa

Alcohol vini.
Aqua Thediana.
Spiritus terebinthinæ.

Acida mineralia

Oleum vitrioli
Aqua Rabellii

Auftera

Alumen
Vitriolum

Exficcantia

Linteum carptum ficcum

Comprimentia

Fungus agaricus
Spongia præparata.

REFRIGERANTIA.

Quæ parti frigus actuale inducunt.

INDICANTUR in calore morbofo vel actuali alicujus partis: ut in ambuftione, in infolatione, in pernione, in commotione cerebri vel alius partis.

REFRIGERANTIA funt

Aqua frigida.
Aer frigidus.
Sal ammoniacum vel
Nitrum parti applicatum & aqua adfufum.

CALEFACIENTIA.

Quæ parti calorem inducunt.

INDICANTUR in frigore morboſo alicujus partis.

CALEFACIENTIA actualia ſunt corpora humida vel ſicca valde calefacta ut
Linteum ſiccum calefactum.
Cataplaſma calefactum.
Fomentum valde calidum.

Oleoſa diutius calorem conſervant, quam *aquoſa*, *Cataplaſmata* diutius quam *fomenta.*

CALEFACIENTIA potentialia ſunt omnia acria, quæ corpori applicata ruborem cum calore inducunt. *V. irritantia.*

REVELLENTIA.

Quæ humores a quadam parte revellunt.

INDICANTUR in morbis, qui a congeſtione, inflammatione vel fluxu alicujus humoris producuntur.

REVELLENTIA ſunt, ſi in parte diſſita

1. *vaſorum relaxatio* per emollientia vel balnea fiat vel
2. *vaſorum evacuatio* per venæ ſectionem, ſcarificationem, hirudinem, enemata evacuantia &c. inſtituatur.
3. *Vaſorum & nervorum irritatio* per ſynapiſmos, veſicatoria, &c. fiat.

ATTRAHENTIA SEU DERIVANTIA.

Quæ humores majori copia in aliquam pattem alliciunt.

INDICANTUR in defectu affluxus humorum: ut in aridura alicujus partis, in suppuratione difficili vel nimis parca.

ATTRAHENTIA seu *DERIVANTIA* sunt

1. *Relaxantia vasorum & fibrarum* ope emollientium & calidorum

2. *Irritantia vasorum & nervorum* ope irritantium, rubefacientium, vesicantium, urticationis, frictionis.

REPELLENTIA.

Quæ humores e parte repellunt

INDICANTUR in congestione humorum, in inflammatione incipiente, in ophthalmia, in commotione cerebri.

REPELLENTIA sunt

1. *Frigida*

   Aqua frigidissima
   Nix — Glacies
   Solutio nitri
   ——— salis ammoniaci.

2. *Adstringentia*

   Alumen
   Vitriolum album

Flores zinci.
Saccharum ſaturni.
Extractum ſaturni.
Vinum rubrum.
Aqua Thediana

3. *Comprimentia*

Faſcia circularis.

ANTISEPTICA.

Quæ humorum & partium ſolidarum putredini reſiſtunt.

INDICANTUR in morbis a putredine ortis: ut in gangræna, ulcere foetido.

ANTISEPTICA ſunt

Amara

Cortex peruvianus

Aromatica

Ruta
Scordium.
Flores chamomillæ.
Alliaria.

Balſamica

Terebinthina

Gummi - reſinoſa

Camphora.
Myrrha.

Auſtera

Alumen
Vitriolum

Sacharum

Saccharum ſaturni.
Gallæ turcicæ.

Frigida.

Aqua frigida.
Nix.
Glacies.

Spirituoſa.

Spiritus vini.
Vinum.

Acida vegetabilia.

Succus citri.
Acetum.

Acida mineralia.

Spiritus vitrioli.
——— nitri.
——— ſalis.
Butyrum antimonii.

Olea ætherea.

Spiritus terebinthinæ

Salina quædam.

Sal ammoniacum.

Aërea.

Aër fixus.

S E P T I C A.

Quæ putredinem humorum augent.

INDICANTUR, ſi putredo promovenda vel inducenda.

Septica ſunt

Lapides cancrorum.
Sal communis.
Aër putridis.
Calor.
Calx viva.

EVACUANTIA EXTERNA.

Quæ humoris alicujus evacuationem procurant.

DEPLENTIA SANGUINIS EXTERNA.

Quæ ſanguinem e vaſis evacuant.

Indicantur in congeſtione ſanguinis, in inflammatione, in plethora, in febre phlogiſtica, in ſuppreſſia ſanguinis excretione.

Deplentia Sanguinis generalia ſunt

Venæ ſectio.

Deplentia topica

Arteriotomia.
Scarificatio cruenta.
Hirudinum applicatio.

DEPLENTIA SERI.

Quæ ſerum e vaſis evacuant.

Indicantur in morbis a congeſtione vel effuſione ſeroſa aut lymphatica: ut in morbis rheumaticis, hydropicis, ſeroſis.

Deplentia Seri ſunt

Veſicatorium.
Fonticulus.
Setaceum.
Exutorium.
Orbiculus e radice bryoniæ.
Scarificatio partis oedematoſæ.
Paracentheſis.
Cauſticum.

DEPLENTIA PURIS.

Quæ pus ex abſceſſu evacuant.

Indicantur in abſceſſu maturo.

Huc pertinet

Inciſio abſceſſus.
Lapis cauſticus.

DEPLENTIA URINÆ.

Quæ urinam e veſica urinaria evacuant.

Indicantur in urinæ retentione cujus, cauſa medicamentis intra paucum tempus auferri nequit.

Deplentia Urinæ ſunt

Catheteriſmus.
Punctura veſicæ.
Veſicatorium ſupra oſſa pubis.
——— ad regionem renalem in iſchuria renali.
Semicupium.

DEPLENTIA MATERIÆ PERSPIRABILIS.

Quæ tranſpirationem promovent.

Indicantur in morbis a transpiratione ſuppreſſa: ut in tumoribus hydropicis, rheumaticis.

Diaphoretica externa ſunt

Balneum calidum.
Frictio totius corporis.
Vapor aquæ.
—— ſpiritus vini accenſi.
Arenatio.

DEPLENTIA LACTIS.

Quæ lac e mammis evacuant.

Indicantur in lactis congeſtione nimia ad mammas.

Deplentia Lactis ſunt

Folia menthæ.
Folia alni.
Cerefolium.
Petroſelinum.
Antlia mammaria.
Suctio mammæ.

DEPLENTIA MUCI NARIUM.

Quæ mucum e naribus cum vel ſine excitata ſternutatione eliciunt.

Hæc remedia etiam *errhina* vel *ptarmica* vel *ſternutatoria* dicuntur.

Indicantur, ſi mucus vel inſectum in naribus vel ſinu pituitario hærens aliquem morbum in-

fert: si abscessus faucium rumpendus: si corpus heterogenum e trachea vel oesophago excutiendum: si surditas a muco tubam Eustachianam opplente adest.

STERNUTATORIA mitiora sunt

Pulvis asari.
—— majoranæ.
—— salviæ.
—— mari veri.
—— nigellæ.
—— florum arnicæ.
—— —— lavendulæ.
—— —— convalliorum.
—— fol. nicotianæ.
—— rad. ptarmicæ.
Vitriolum album.

STERNUTATORIA fortiora sunt

Radix hellebori nigri.
Euphorbium.

DEPLENTIA SALIVÆ.

Quæ salivam movent.

INDICANTUR ab indole quorumdam morborum.

SALIVATORIA seu *SIALOGOGA externa* sunt

Inunctio mercurialis.
Ablutio cum solutione mercuriali.
Masticatoria.
Fumigatio cinnabarina.

APOPHLEGMATISONTA.

Quæ pituitam e faucibus maſticando eliciunt.

Indicantur in angina pituitoſa, in odontalgia rheumatica, in incipiente cataracta vel amauroſi, in chronica ophthalmia.

Apophlegmatisonta ſunt

Radix pyretri.
—— pimpinellæ.
—— calami.
—— zingiberis.
Folia nicotianæ.
Cubebæ.
Piper.
Sal ammoniacum.

DEPLENTIA VENTRICULI EXTERNA

Quæ externe applicata ventriculi contenta per os evacuant.

Indicantur, ſi oeſophagus corpore heterogeneo obturatus eſt, vel alia cauſa vomitorii deglutitionem prohibet.

Emetica externa ſunt

Irritatio faucium ope digiti vel barba pennæ oleo tincta.

Enema ex fumo tabaci.
—— — ſolutione tartari emetici.

DEPLENTIA INTESTINORUM CRASSORUM.

Quæ foeces inteſtinorum craſſorum evacuant.

Indicantur, ſi interne purgantia dari non poſſunt, vel dare non licet.

Purgantia externa ſunt

Unguentum de arthanita.
Enema ex infuſo vel decocto purgante.
Suppoſitorium.
Tinctura aloes ulceri vel vulneri applicata.

SPECIFICA.

Quæ ſpecifice in morbum aliquem agunt, ut

ANTIVENEREA.

Quæ miaſma venereum delent.

Indicantur in morbis venereis.

Antivenerea externa ſunt

Solutio ſublimati corroſivi.
——— mercurii gummoſi.
Aqua phagadænica.
Eſſentia maſtichina mercurialis.
Unguentum e præcipitato rubro.
——— neapolitanum.
Emplaſtrum de ranis c. mercurio.

ANTISCABIOSA.

Quæ ſcabiem & alios morbos cutaneos curant.

Indicantur purgatis primis viis & ſanguine in mox dictis morbis.

Antiscabiosa externa ſunt

Unguentum ex ſale ammoniaco.
——— — ſulphure.
——— — præcipitato albo.
——— — helleborro albo.
——— — enula.
Thermæ ſulphureæ naturales.
Balnea ex hepate ſulphuris.
lotio cum ſapone nigro.
—— — decocto enulæ.
—— — —— hellebori albi.

ANTICANCROSA.

Quæ virus cancroſum domare dicuntur.

Indicantur in cancro aperto & occulto.

Anticancrosa cenſentur

Cicuta.
Arſenicum flavum.
Belladona.
Succus onopordi.
Folia laurocerasi.
Aqua calcis.

ANTICARIOSA.

Quæ oſſis cariem emendant.

Indicantur in offis corruptione cariofa.

Anticariosa mortificantia, feu quæ os corruptum plane mortificant, funt *

Spiritus vini.
Tinctura myrrhæ.
——— fuccini.
——— euphorbii.
Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.
Aqua Thediana.
Oleum camphoræ cauflicum.
——— cinamomi.
——— caryophyllorum.
Liquor Bellosti.
Lapis caufticus.

Anticariosa os *non mortificantia*, fed offis mortui feparationem promoventia, funt

Cataplafma ex dauco.
Aqua calcis.
Vinum.
Myrrha.
Maftix.
Mel cum
pulv. corticis peruviani,
——— fcordii,
——— millefolii,
——— florum chamomillæ.
Aer fixus.

---

* *Ill.* Richter *Anfangsgründe der Wundarzneykunft. Göttingen. S.* 545.

Unguentum digeſtivum vel
Balſamus Arcæi cum myrrha.

ANTIDOTA

Quæ venenum externe applicatum domant.

INDICANTUR, ſi venenum animale, minerale, vel vegetabile applicatum fuit.

ANTIDOTA

in morſu *canis rabidi* ſunt	pulvis cantharidum.
— —— Preſteris	oleum olivarum.
— —— Aſpidis	Spiritus ſalis ammoniaci lacteus.
— —— Peri	
— —— Crotali	
— —— Cherſeæ	folia fraxini.
— —— Najæ	radix mungos.
— ictu furiæ infernalis.	coagulum lactis.
in applicato arſenico	ſolutio ſalis alcalini fixi vel lixivii.
— —— ſublimato	

De reliquis antidotis vide *Toxicologiam*.

ANTHELMINTICA.

Quæ larvas vermiformes in ulceribus & vulneribus necant.

INDICANTUR in mox dicto morbo. Huc pertinent
Elixir. vitrioli.
Aqua Thediana.
Spiritus terebinthinæ.

Aloe.
Mercurius dulcis.

Anthelmintica, quæ externe applicata vermes ex inteſtinis expellunt, ſunt:

Folia tanaceti.
—— abſynthii.
Unguentum de arthanita.

ANTIPTYRIACA.

Quæ pediculos aliaque inſecta fugant.

Indicantur in ptyriaſi capitis, pubis, aut ſi hæc inſecta lectum & veſtimenta inficiunt.

Antiptyriaca ſunt

Mercurius vivus.
Folia tabaci.
Semen ſabadillæ
—— petroſellini
Oleum aniſi.

SYMPATHETICA.

Quæ ſolo attactu aut eminus applicata ſine effluviis corpus ægroti tangentibus in diſtans agere dicuntur: ut pulvis ſympatheticus gladio vel ſanguini e vulnere promananti applicatus: ut manus regis vel os cadaveris ſcrophulas tangens: ut caro ſub terra defoſſa ad abigendas verrucas.

Hæc remedia vel fallacia ſunt, vel imaginaria, vel excitato animi pathemate in morbum agunt.

AEREM DEPURANTIA.

Quæ aërem putridum in noſocomiis depurant, ſunt

Aeris perflatio ope feneſtrarum, portarum, ventilatorum, caminorum, ſibi e directo reſpondentium.

Luſtratio aëris ope ignis flammantis, vel accenſi pulveris pyrii.

Fumigatio aromatica: ut juniperina.

Exhalatio vaporis aceti, acidi muriatici, aëris dephlogiſticati.



MATERIA CHIRURGICA
SPECIALIS.


——— ——— *Seht ins innere Wesen hin,*
und lernet aus Erkenntniss wählen.

VON HALLER.

ELENCHUS
GENERALIS.

Amylacea.
Mucilaginea.
Lactea.
Oleosa.
Pinguia.
Gelatinosa.
Gummosa.
Gummi-resinosa.
Balsamica.
Bituminosa.
Sulphurea.
Ceracea.
Oleosa empyreumatica.
—— ætherea.
Spirituosa.
Adstringentia.
Amara.
Amaricantia.
Aromatica.
Acria.
Narcotica.
Insipida.
Saponacea
Dulcia.
Acida vegetabilia.

Acida mineralia.
—— dulcificata.
Alcalina fixa.
—— volatilia.
Terrea.
Metallica
Caustica.
Calida.
Frigida.
Aquosa.
Aërea.
Deplentia sanguinis.
—— seri.
Mechanica.



ELENCHUS SPECIALIS.

AMYLACEA.

Triticum.
Hordeum.
Avena.
Secale.
Oryza.
Faba.
Lens.
Lupinus.
Milium.
Hypocastanea.
Amylum
Mica panis.

MUCILAGINEA.

Althea.
Symphytum.
Malva.
Alcea.
Branca ursina.
Lilium album.
Semen cydoniorum.
—— psyllii.
—— hormini.
—— lini.
—— foenugræci.
—— cannabis.
Cortex unguentarius.
—— ulmi campestris.

LACTEOSA.

Lac vaccinum.
Cremor lactis.
Amygdalæ dulces.

OLEOSA.

Oleum olivarum.
—— Lini
—— amygdalarum.
—— ceræ.
—— ovorum.
—— palmæ
—— been.
Folia ricini.

PINGUIA.

Axungia porcina.

Axungia anſerina.
—— viperina.
—— anguillæ.
—— cati ſylveſtris.
—— taxi.
—— canis.
—— piſcina.
Sevum cervinum.
—— vervecinum.
—— hircinum.
—— bovinum.
Medulla oſſium.
Butyrum vaccinum.
—— cacao.
Sperma ceti.

GELATINOSA.

Ichthyocolla.
Albumen ovorum.
Vitellus ovorum.
Gluten ſcriniariorum.
Sperma ranarum.
Caſeus.
Album græcum.

GUMMOSA.

Gummi arabicum.
—— tragacanthæ.

GUMMI RESINOSA.

Gummi ammoniacum.

Gummi bdellium.
——— guajacum.
Olibanum.
Styrax calamita.
Opopanax.
Sarcocolla.
Ladanum.
Galbanum.
Myrrha.
Sagapenum.
Afa foetida.
Gummi animæ.
Benzoe.
Gummi elemi.
Maftix.
Tacamahaca.
Sandaraca.
Refina vulgaris.
Pix folida.
Colophonium.
Sanguis draconis.
Gummi carannæ.
Aloe.
Gummi Guttæ.
——— hederæ arboreæ.
Camphora.

BALSAMICA.

Balfamum copaivæ.
——— de Mecca.

Balſamum de Tolu.
——— peruvianum.
Storax liquida.
Pix liquida.
Balſamus hungaricus.
——— carpaticus.
Terebinthina.

BITUMINOSA.

Ambra.
Succinum.
Petroleum.
Maltha.
Aſphaltum.

SULPHUREA.

Sulphur.
Phoſphorus.

CERACEA.

Cera.
Farina lycopodii.
Gummi laccæ.

OLEOSA EMPYREUMATICA.

Oleum ſuccini.
——— animale DIPPELLII
——— lateritium.
Fuligo.

OLEOSA ÆTHEREA.

Oleum terebinthinæ.
—— cinamomi.
—— caryophyllorum.
—— lavendulæ.
—— cajeput.
—— anisi.
—— sabinæ.
—— laurinum.
—— ligni sassafras.
—— templinum.
—— juniperi.
—— betulinum.

SPIRITUOSA.

Spiritus vini.
Alcohol vini.
Vinum album.
—— rubrum.
Vinacea.
Foeces vini.
Cerevisia.

ADSTRINGENTIA.

Radix tormentillæ.
—— bistortæ.
—— pentaphylli.
—— alchimillæ.
—— alkannæ veræ.

Herba prunellæ.
—— ajugæ pyrimidalis.
—— euphrasiæ.
—— equiseti.
—— anserinæ.
—— plantaginis.
—— vincæ pervincæ.
—— perfoliatæ.
Folia vitis.
Terra japponica.
Flores rosarum rubrarum.
Radix primulæ veris.
Flores balaustiorum.
Cortex granati.
Herba caprifolii.
—— querci.
—— suberis.
—— salicis albæ.
Gallæ turcicæ.
Folia pyrolæ.
Herba uvulariæ.
Cortex nucis juglandis.
Folia alni.
Fungus melitensis.

A M A R A.

Herba absynthii vulgaris.
—— marrubii albi.
—— eupatorii.

Herba rutæ.
—— trifolii fibrini.
—— tanaceti.
—— centaurii minoris.
—— chamedryos.
—— chamæpityos.
—— cardui benedicti.
—— gratiolæ.
Folia hederæ arboreæ.
Radix gentianæ.
Fel tauri.
—— lucii piſcis.

AMARICANTIA.

Herba alliariæ.
—— ſcordii.
—— onopordi.
—— millefolii.
—— abrotani.
—— matricariæ.
—— hederæ terreſtris.
—— anagallidis.
—— linariæ.
Flores lupuli.
Radix ariſtolochiæ longæ.
—— —— rotundæ.
Folia xantii.
Cortex peruvianus.
—— pini.

Baccæ alkekengi.
Gemmæ populi.
Folia myrti brabantici.

AROMATICA.

Flores chamomillæ romanæ.
——— ——— vulgaris.
——— calendulæ.
——— meliloti.
——— ſambuci.
——— arnicæ.
——— cheiri.
——— jaſmini.
——— lavendulæ.
——— lilii convallii.
Herba hyſsopi.
——— origani.
——— menthæ.
——— melliſſæ.
——— majoranæ.
——— anethi.
——— baſilici.
——— roſmarini.
——— roſmarini ſylveſtris.
——— ſalviæ.
——— mari veri.
——— thymi.
——— ſerpilli.
——— betonicæ.
——— cerefolii.
Folia myrti.

Folia lauri.
Radix contrajervæ.
—— ſerpentariæ.
—— imperatoriæ.
—— enulæ.
Semen petroſelini.
Baccæ juniperi.
—— foeniculi.

A C R I A.

Radix pyrethri.
—— ptarmicæ.
—— bryoniæ.
—— arthanitæ.
—— ſcillæ.
—— armoraceæ.
—— hellebori albi.
Herba cochleariæ.
—— naſturtii hortenſis.
—— plumbaginis.
—— aſari.
—— pimpinellæ albæ.
Bulbus allii.
—— cepæ.
Radix iridis florentinæ.
Semen ſabadillæ.
—— ſtaphiſagriæ.
—— ſinapis.
—— piperis.
Herba nicotianæ.

Herba flammulæ jovis.
—— ſabinæ.
—— eſulæ.
—— ſedi acris.
Folia rhododendron.
—— phytolaccæ.
—— urticæ.
—— chelidonii.
—— digitalis purpureæ.
Radix ceanothi
—— raphani nigri.
Fermentum panis.

NARCOTICA.

Capita papaveris.
Opium.
Crocus.
Folia hyoſciami nigri.
—— belladonæ.
Herba ſtramonii.
—— linariæ.
—— ſolani nigri.
Radix mandragoræ.
Herba cicutæ.
Folia verbaſci.
Herba mercurialis.

SUBINSIPIDA.

Folia braſſicæ albæ.

Folia betæ rubræ.
—— ſempervivi.
—— ſedi telephii.
—— boni Henerici.
Herba lycopodii.
—— ſideritidis.
—— beccabungæ.
—— ſenecionis.
Radix anchuſæ.
Folia opuntiæ.

SAPONACEA.

Sapo venetus.
—— niger.
Herba ſaponariæ.

DULCIA.

Saccharum.
Mel virgineum.
Pulpa pomorum.
Mora.
Ficus.
Rapa.
Succus liquiritiæ.
Daucus.

ACIDA VEGETABILIA.

Acetum vini.

Cremor tartari.
Folia acetosæ.
——— acetosellæ.
Succus citri.

ACIDA MINERALIA.

Spiritus vitrioli.
——— salis
——— nitri.

ACIDA DULCIFICATA.

Spiritus vitrioli dulcis.
——— salis dulcis.
Naphtha vitrioli.
——— aceti.

ALCALINA FIXA.

Sal tartari.
Oleum tartari per deliquium.
Sal sodæ.
Liquor nitri fixi.
Cinis bufonum.

ALCALINA VOLATILIA.

Spiritus salis ammoniaci simplex.
Sal volatile siccum.

SALINA NEUTRA.

Sal ammoniacum.
Nitrum.

Sal culinare.
— marinum
— gemmæ.
Spiritus Mindereri.
Borax veneta.
Alumen crudum.

TERREA.

CALCAREA

Lapides cancrorum.
Teſtæ concharum.
—— oſtrearum.
Mater perlarum.
Margaritæ.
Teſtæ ovorum.
Os ſepiæ.
Creta alba.
Lapis calcareus.
Lac lunæ.
Oſteocolla.
Glacies mariæ.
Gypſum.
Alabaſtrum.
Corrallium rubrum.
——— album.
Bolus armena.
—— rubra.
—— alba.
Terra ſigillata.

Terra tripolitana.
Rubrica fabrilis.
Talcum album.
Alumen plumoſum.
Pumex.
Cryſtallus montana.
Vitrum.

METALLICA.

Aurum.
Argentum
Cuprum.
Vitriolum coeruleum.

Stannum

Ferrum.
Magnes.
Hæmatites.
Colcothar vitrioli.
Terra vitrioli dulcis.
Vitriolum viride.

Zincum.
Flores zinci.
Pompholix.
Tutia.
Lapis calaminaris.
Vitriolum album.

Bismuthum.
Magiſterium marcaſitæ.

Antimonium.

Crocus metallorum.
Hepar antimonii.

Plumbum.
Extractum ſaturni.
Minium.
Lithargyrium.
Ceruſſa alba.
Plumbum uſtum.
Saccharum ſaturni.

Mercurius.
Mercurius gummoſus.
——— alcoholiſatus.
——— dulcis.
——— præcipitatus albus.
——— ——— ruber.
——— ſublimatus corroſivus.
Cinnabaris.
Aethiops mineralis.

C A U S T I C A.

ACIDA.
Oleum Vitrioli.
Spiritus ſalis concentratus.
——— nitri fumans.
Liquor BELLOSTI.
Oleum camphoræ cauſticum.
Alumen uſtum.
Arſenicum album.
——— citrinum.
Auripigmentum.

ALCALINA

Lapis causticus.
Spiritus salis ammoniaci causticus.
Lixivium saponariorum.
Liquor nitri fixi.

METALLICA

Butyrum antimonii.
Vitriolum cupri.
Aerugo.
Lapis infernalis.
Mercurius sublimatus corrosivus.
——— præcipitatus ruber.

ANIMALIA

Cantharis.

VEGETABILIA

Gummi euphorbii.
Flammula jovis.

TERREA

Calx viva.

C A L I D A.

Calor carbonum ardentium.
—— radiorum solarium.
Scintilla electrica.
Moxa.
Cauterium.

F R I G I D A.

Aqua frigida.
Nix.
Glacies.

AQ-

AQUOSA.

Aqua calcis.
——— marina.
——— calida.
Thermæ aeratæ.
——— ſulphureæ.
Balneum ferri granulati.

AEREA.

Aer fixus.
— inflammabilis.
— muriaticus.
Tartarus cereviſiæ.

DEPLENTIA SANGUINIS.

Venæ ſectio.
Arteriotomia.
Scarificatio cruenta.
Hirudinum applicatio.

DEPLENTIA SERI.

Veſicatorium.
Fonticulus.
Setaceum.
Cortex thymeleæ.

MECHANICA.

Goſsypium.

Linteum carptum.
Charta.
Spongia marina.
——— præparata.
Agaricus præparatus.
Bovista.
Resina elastica.





PHARMACOLOGIA CHIRURGICA SPECIALIS.


Scientia, quæ ſinguli medicamenti virtutem & uſum in morbis externis tradit, *Pharmacologia chirurgica ſpecialis* vocatur.

Quodlibet medicamentum virtutem *generalem* ſeu pluribus medicamentis communem, & virtutem *ſpecialem* ſeu ſibi ſoli propriam habet.

Virtus *generalis* odore, ſapore, analyſi chemica & experimentis in corpore ſano & ægroto inſtitutis eruitur.

Virtus autem *Specialis* ſolo caſu vel experimento fortuito in corpore ægroto inſtituto detegitur.

Cum vero omnia medicamenta ſola vi ſuorum principiorum, quibus conſtant, agere poſſint, hinc medicamenta a diverſitate ſuorum principiorum conſtitutivorum in ſequentes dividuntur *claſſes*.



AMYLACEA.

Sunt medicamenta, quæ maximam partem ex principio *amylaceo* conſtant.

Eſt vero *amylum* principium vegetabile ſui generis, quod maximam partem in ſeminibus cerealibus deprehenditur. Eſt inodorum, inſipidum, aceſcens, aqua frigida non, ut gummoſa corpora, ſolubile.

Ad *claſſem* medicamentorum amylaceorum pertinent.

TRITICUM.

Triticum hybernum Linnæi. *Weizen.* Farina eſt pars maxime uſualis.

Odor farinæ nullus; Sapor farinaceus, ſubinſipidus.

Virtus reſolvens, emolliens.

Usus. Farina *ſicca* aliquantum calefacta *fomentum* exhibet *ſiccum*, quod tranſpirationem partis, cui applicatur, auget & abſorbet atque ſuo calore humores reſolvit; hinc applicatur in tumoribus eryſipelatoſis, ſeroſis, oedematoſis, arthriticis, rheumaticis. Hi enim tumores raro fomenta humida ferunt.

Farina cum *lacte* cocta conſtituit *cataplaſma emolliens*, quod tumores induratos & inflammatorios egregie emollit, aut in ſuppurationem ducit.

Farina cum *aqua vegeto - minarali* cocta dat *cataplaſma antiphlogiſticum*, quod tumores inflammatorios efficaciſſime reſolvit.

Farina cum *aqua* & *melle* ſubacta & calore in incipientem fermentationem acta præbet *cataplaſma fermentans*, quod ſuo aëre fixo per fermentationem extricato putredini reſiſtit ac emollit.

Convenit in gangræna ficca & ulceribus gangrænosis. * *Furfures tritici* pediluviis & balneis emollientibus incoquuntur.

HORDEUM.

HORDEUM diſtichum L. Gerſte.

ODOR nullus; SAPOR farinaceus, inſipidus.

VIRTUS & USUS farinæ tritici. *Decoctum hordei* vehiculum injectionum emollientium & obvolventium præbet.

AVENA.

AVENA ſativa L. Haber.

ODOR nullus; SAPOR farinaceus.

VIRTUS & USUS farinæ tritici. Avena *integra* leviter toſta & ſacculo incluſa herniis incarceratis cum fructu quandoque ſub initium morbi adhibetur.**

SECALE.

SECALE cereale L. Rogen.

ODOR nullus; SAPOR farinaceus.

---

* *Cel.* POWER *von dem Nuzen gährender Breyumſchläge bey dem Abſterben der Glieder:* Vide *Arzneykundige Abh. von collegio der Aerzte in Londen*, 3. *B.* 48. *S.*

** *Cel.* HAFNER id ſæpius obſervaſſe teſtatur. Vide *Ill.* HAEN *prælectiones in* BOERHAAVII *inſtitutiones* T. v. p. 150.

VIRTUS, farina resolvens decoctum cito acescens.

USUS. Farina cum tartaro cerevisiæ in pultem redacta, colloque affixa cito curat anginam & asperitatem faucium. Sub fermentatione propulsus aër fixus resolvere videtur. *

ORYZA.

ORYZA sativa. L. Reiss.

ODOR nullus; SAPOR farinaceus, insipidus.

VIRTUS emolliens, detergens.

USUS. Farina pro *pulvere manuali* adhibetur.

FABA.

VICIA Faba L. Gartenbohne.

ODOR & SAPOR leguminosus, farinaceus.

VIRTUS resolvens, discutiens.

USUS. Farina ad erysipelas & tumores calidos mammarum & testiculorum, nec non ad hydrocelen discutiendam, applicatur. *Aqua destillata* florum immerito cosmetica censetur.

LENS.

ERVUM Lens. L. Linse.

ODOR & SAPOR leguminosus, farinosus.

---

* *Cel.* BERGIUS *mat. med.* p. 48.

VIRTUS emolliens.

USUS. Decocto lentium facies ad foedas post variolas cicatrices arcendas, dum variolæ ſiccari incipiunt, a mulierculis crebrius foveri ſolet. *

L U P I N U S.

LUPINUS albus L. Feigbohne.

ODOR nullus ; SAPOR amaricans

VIRTUS diſcutiens & emolliens.

USUS ad cataplaſmata diſcutientia.

O R O B U S.

ERVUM Ervillia L. Waldwike. Semina Ervi.

ODOR nullus ; SAPOR farinaceus ſubinſipidus.

VIRTUS reſolvens & emolliens.

USUS ad cataplaſmata reſolventia & maturantia.

M I L I U M.

PANICUM miliaceum L. Hirſe. Breyn.

ODOR nullus; SAPOR farinaceus.

VIRTUS emolliens.

USUS. Farina prolapſui inteſtini recti a mulieribus inſpergi ſolet. Etiam ad cataplaſmata emollientia adhibetur.

H Y P O C A S T A N E A.

AESCULUS Hypocaſtanea L. wilde Caſtanien.

ODOR nullus; SAPOR amarus.

---

* *Cel.* CHOMEL *pl. uſuell. T.* 3. p. 61.

VIRTUS roborans, abstergens

USUS. Farina ad pulverem manualem adhibetur.

AMYLUM TRITICI.

AMYLUM tritici. Stærke. Kraftmehl. Est pars amylacea ex tritico extracta.

ODOR nullus; SAPOR farinaceus. Coctura sola in aqua solubile.

VIRTUS obvolvens, glutinans,

USUS. Amylum aqua coctum dat *Gelatum amyli*, quod aqua dilutum pro gargarismate obvolvente in asperitate faucium inservit.

Pulvis cyprius, Haarpuder est amylum in tenuissimum purverem redactum. Inspergitur excoriationibus subaxillaribus, inguinalibus & scrotalibus infantum ac papillis excoriatis mammarum.

MICA PANIS ALBI.

MICA PANIS siliginei. Semelschmolle.

ODOR nullus; SAPOR farinaceus.

VIRTUS emolliens.

USUS. Mica cum *lacte* cocta dat pulmentum emollientissimum, quod in mammarum induratione & inflammatione laudatur. Mica cum *aqua vegeto-minerali* cocta constituit cataplasma antiphlogisticum, quod in omni tumore inflammatorio convenit.

MUCILAGINEA.

Sunt medicamenta, quæ multo muco vegetabili gaudent.

ALTHEA.

Althea officinalis L. Eibish.

Odor nullus; Sapor herbaceo-mucilagineus.

Virtus emolliens, lubricans, involvens.

Usus. In cataplasmatibus emollientibus ad emolliendos tumores. *Decoctum* pro fomento emollienti in ophthalmia sicca, in rigiditate partium.

SYMPHYTUM.

Symphytum officinale L. Wallwurz, Shwarzwurz.

Odor nullus; Sapor subdulcescens; Indoles magis glutinosa quam radicis altheæ.

Virtus obtundens, glutinans, at simul subadstringens.

Usus. In forma cataplasmatis ad vulnera & ulcera consolidanda laudatur, hinc *Consolida major* dicebatur. Pulvis naribus attractus immodicam earundem hæmorrhagiam compescuit. *

MALVA.

Malva rotundifolia L. Käfspappel.

Odor nullus nec florum nec foliorum; Sapor herbaceo-mucilagineus.

* *Cel.* Pfann *in Samml. merkw. Fälle. p.* 249.

VIRTUS emolliens, obvolvens.

USUS ad cataplaſmata emollientia. Decoctum *florum* ad hypopyum pro fomento vel balneo ophthalmico laudatur. *

A L C E A.

ALCEA roſea L. Gartenpappel. Malva arborea.

ODOR nullus; SAPOR herbaceo-mucilagineus.

VIRTUS emolliens.

USUS. Flores ad fomenta & cataplaſmata emollientia recipi poſſunt.

BRANCA URSINA.

ACANTHUS mollis L. Bärnklau.

ODOR debilis; SAPOR herbaceo-glutinoſus.

VIRTUS emolliens, demulcens.

USUS ad clyſmata emollientia.

LILIUN ALBUM.

LILIUM candidum L. weiſse Lilie.

ODOR nullus; SAPOR vix ullus; INDOLES valde glutinoſa, plaſtica.

VIRTUS emolliens.

USUS pro cataplaſmate emolliente ad tumores inflammatione induratos.

---

* *Cel.* JANIN *Memoires & obſervat. ſur loeil.* p. 454.

SEMEN CYDONII.

Pyrus Cydonia L. dat hæc ſemina. *Quittenkeern.*

Odor nullus; Sapor mucilagineus.

Virtus obvolvens, leniens.

Usus. Mucilago in ophthalmia, teneſmo & aphthis ardentibus applicatur.

SEMEN PSYLLII.

Plantago Cynops L. hæc ſemina præbet. *Flöhſaamen.*

Odor nullus; Sapor nullus. Indoles mucilaginea. Seminis ℨj libram integram aquæ mucilaginoſam reddit.

Virtus obvolvens.

Usus. Mucilago in ophthalmia ardenti adhibetur.

SEMEN HORMINI.

Salvia Horminum L. Scharleyſaamen.

Odor fragrans; Sapor ſubamaricans, maſticatione mucilaginoſus.

Virtus obtundens, obvolvens.

Usus. In ophthalmia mucilago laudatur.

Forma. Mucilago ex ſeminum ℥j in aquæ puræ ℔ß infuſione vel levi decoctione paratur.

SEMEN LINI.

Linum uſitatiſſimum L. Leinſaamen. Flachsſaamen.

ODOR vix ullus; SAPOR fatuus. INDOLES oleoſo-mucilaginea.

VIRTUS emolliens, relaxans, obvolvens.

USUS. Farina ſeminum cum lacte coctà dat *cataplaſma emollientiſſimum*, quod ad emolliendos tumores inflammatorios & induratos adhiberi ſolet. Farina cum aqua vegetominerali cocta exhibet optimum cataplaſma antiphlogiſticum pro mammis aut teſticulis aut alia parte inflammata, ut multoties ſum expertus.

SEMEN FOENUGRÆCI.

TRIGONELLA Foenugræcum L. Bockshornſaamen.

ODOR fragrans unguentarius; SAPOR leguminoſus, INDOLES valde mucilaginea.

VIRTUS emolliens, lubricans, obvolvens.

USUS ad cataplaſmata emollientia, clyſmata lubricantia & unguenta ſimilia recipitur.

SEMEN CANNABIS.

CANNABIS ſativa L. Hanfsaamen.

ODOR vix ullus; SAPOR ſubfatuus. INDOLES oleoſo mucilaginea.

VIRTUS emolliens, relaxans.

USUS. Semina contuſa & cum lacte cocta cataplaſma emolliens conſtituunt.

CORTEX UNGUENTARIUS.

Cortex unguentarius, an * *Ulmi* ſpecies ? *Salbenrinde.*

Odor vix ullus; Sapor vix ullus, glutinoſus maſticatione. Cortex cum aqua coctus dat ſpiſſam mucilaginem rubram.

Virtus glutinans, conſolidans.

Usus. Barbari Americani vulnera & ulcera pura hoc cortice ſibi conſolidant.

Forma. Cortex bene pulveriſatus miſcetur cum lacte bubulo tepido & agitatur valide, donec in electuarii conſiſtentiam coeat. Hoc electuarium vulneri imponitur, quod mane ac veſperi iterari debet. Antiqua vulnera ſatis eſt ſemel per diem deligare, ne nimis acceleretur conſolidatio. Ante ſuppurationem vulneris cortex non eſt adhibendus **

CORTEX ULMI CAMPESTRIS.

Ulmus campeſtris L. Ulmrinde. Weiſſe Rüſternrinde. Cortex intermedius ſumi debet.

Odor nullus; Sapor ſubamaricans, maſticatione valde glutinoſus.

Virtus ſubadſtringens, conſolidans.

---

* *Ill.* Bergii m. m. p. 182.

** *Ill.* Bergius l. c. dicit: vulnera hac medela bene conſolidata vidi, quamvis, ubi caries ſubfuit, conſolidatio tarda apparuerit.

Usus. Mucilago ex cortice parata, ut cortex unguentarius, in vulneribus & ambuſtionibus adhibetur.



L A C T E A.

LAC VACCINUM.

Chylus ex uberibus vaccæ ſecretus. *Kuhmilch.*

Odor nullus; Sapor gratus, dulceſcens. Indoles aqueo-oleoſa.

Virtus emolliens, relaxans.

Usus pro vehiculo fomentorum, & cataplaſmatum emollientium ad tumores inflammatione induratos. Pro collyrio in ophthalmia ſicca. Pro lavacro in capite ſcabioſo. Pro gargariſmate in angina ſuppuratoria.

CREMOR LACTIS

Eſt *butyracea* lactis pars, *dulcis* vel *acidula. Milchram. Sahne.*

Odor nullus; Sapor pinguis vel dulcis vel acidulus.

Virtus emolliens, aciduli cremoris ſimul refrigerans.

Usus. In cruſta lactea, in ambuſtione cremor dulcis cum vel ſine ovi vittello applicatur. Gingivis a dentitione inflammatis illinitur. In ambuſtione faucium & oeſophagi a cibis nimis adhuc calentibus deglutitis cremorem *acidulum* optimo cum ſucceſſu deglutiendum præbui.

AMYGDALA DULCIS.


Nucleus *Amygdali communis dulcis L. Süſse Mandeln.*

Odor debilis; Sapor dulceſcens, mitis. Indoles. Nuclei cum aqua triti emulſionem dant, in qua oleum blandum mediante mucilagine cum aqua combinatum eſt.

Virtus emolliens, antiphlogiſtica.

Usus. Emulſio frigide applicata in ophthalmia & tepide adhibita in angina & aſperitate faucium profuit.

Furfures amygdalarum *amararum* in manuum lavacro ſordes ut ſapo abſtergit. Hinc pro *pulvere manuali.*



OLEOSA.

OLEUM OLIVARUM.

Fructus *Oleæ europææ L.* dat expreſſione hoc oleum. *Olivenöl*

Odor olei recentis vix ullus; Sapor mitis.

Virtus relaxans, lubricans, obvolvens.

Usus. In morſu viperæ anglicæ vulneri & membro juxta carbones ardentes inungitur; in punctura ſcorpionis, apum, veſparum, aliorumque inſe-

ctorum laudatur ; in his puncturis ſpiritus ſalis ammoniaci oleo olivarum additur. * In aſcite abdomini inunctum profuit.

Ad emplaſtra, unguenta injectiones, & enemata emollientia recipitur. Ad enemata emollientia ano, ad calculi urinarii dolorem veſicæ injicitur.

Amurca ſeu maſſa poſt expreſſionem olei in ſaccis reſidua utiliter applicatur in paralyſi & rheumatiſmo chronico, unde ſudor abunde pellitur, ita ut, ſi univerſalis ejus applicatio fiat, in ſyncopen ægrum cadere obſervatum fuerit. **

OLEUM LINI.

Oleum, quod ex ſemine *LINI uſitatiſſimi L.* exprimitur. *Leinöl.*

ODOR & SAPOR olei etiam recentis aliquantum ingratus.

VIRTUS emolliens, relaxans, obvolvens.

USUS ad clyſmata emollientia præſertim in herniis a ſpaſmo incarceratis. Odontalgiæ quandoque mederi dicitur.

---

* *Ill.* MURRAY *Ap. m.* T. 2. p. 49. & *Cel.* LEHR *diſs. de olea europæa. Gött.* p. 63.

** *Cel.* FOURNIER in RIRCHARD DE HAUTESIERCK *Recueil d'obſerv.* T. 1. p. 69.

OLEUM AMYGDALARUM.

Oleum ex nucleis *AMYGDALI communis L.* expressum. *Mandelöhl.*

ODOR nullus; SAPOR blandus, subdulcis sive ex amygdalis *dulcibus* sive ex *amaris* sit pressum.

VIRTUS emolliens, lubricans, relaxans.

USUS ad injectiones lenientes: ut in ischuria, dysuria. Ad anchylosin a rigiditate ligamentorum & tendinum.

OLEUM CERÆ.

Oleum butyraceum ex *CERA APIS mellificæ* destillatione obtentum. *Wachsöl.*

ODOR & SAPOR aliquantum ingratus.

VIRTUS emolliens & resolvens.

USUS in pernionibus, fissuris papillarum mammæ aut labiorum oris, in anchylosi.

OLEUM OVORUM.

Oleum e VITELIS OVORUM tostis expressum. *Eyeröl.*

ODOR aliquantum ingratus; SAPOR blandus.

VIRTUS emolliens, demulcens,

USUS. Ad ambusta, hæmorrhoides dolentes, & fissuras papillarum mammæ, labiorum & genitalium applicatur. Ad implendas vero cicatrices vario-

losas male adhibetur: quia maculas flavescentes post se relinquit.*

OLEUM PALMÆ.

Oleum sebaceum ex fructu *PALMÆ oleosæ L.* decoctionis ope elicitum. *Palmöl.*

ODOR suavis, gratus, fere iridis florentinæ. SAPOR pinguis, validus, odori congruens.

VIRTUS emolliens & resolvens.

USUS in pernionibus, tuberibus arthriticis,** in rhagadibus a frigore, a podagra, a lotura inductis. In duritie abdominis tum infantum cum adultorum ***.

OLEUM BEEN.

Est oleum e nuce *GUILANDINÆ Moringæ L. Beenöl. Oleum balaninum.*

ODOR & SAPOR fere nullus. Diu absque rancore servari potest.

VIRTUS emolliens, cuti nitorem & lævitatem concilians, sopiens pruritum.

---

* *Pharmacia rationalis. Cassellis.* 1779. p. 207.

** *Bemerkungen vom Nuzen des Palmöls in den Frostbeulen und Gichtknoten. Vide Fränkische Sammlung* 1. *B.* 229. *S.*

*** BERGIUS m. m. p. 882. Venter totus hoc oleo illinatur, dein panno tegatur, qui hocce oleo densius superunctus est. Præstantissimum dicitur in duritie abdominis a morbis acutis vel chronicis relicta remedium.

Usus in pruritu ſenili, cicatrices a variolis relictas delere dicitur * Cera alba cum oleo balanino *baſis* eſt balſamorum fragrantium, cui oleum ſtillatitium vel balſamus nativus pro arbitrio inſtillatur.

FOLIA RICINI.

RICINUS *communis L. Wunderbaum. Cataputia major.*

ODOR nullus; SAPOR mollis, ſubacris tamen.

VIRTUS emolliens, maturans.

USUS. Folia cum lacte cocta optime maturant furunculos; nullum emplaſtrum adeo cito & facile ſuppurationem in his tumoribus movet. Plagæ veſicatoriis relictæ his foliis facile ſanantur. Folia in aceto macerata herpetem, ſcabiem & tineam infantum curant. **

PINGUIA.

AXUNGIA PORCINA.

Pinguedo SUIS *Scrofæ L. Schweinſchmalz.*

* *Cel.* BRUCKMAN *diſs. de nuce Peen. Helmſt.* 1750. memorabilia hujus rei exempla p. 27. ſq. recenſet.

** *Cel.* CAVANE *diſs. on the oleum Palmæ Chriſti ſeu oleum ricini. London* 1779.

Odor nullus; Sapor pinguis.

Virtus emolliens, lubricans.

Usus. Unguentis & balſamis variis dat baſim.

AXUNGIA ANSERINA.

Pinguedo *Anatis Anſeris L. Gänſeſchmalz.*

Odor nullus; Sapor pinguis, gratus, ſapidus.

Virtus emolliens, relaxans, tenuior & penetrantior quam axungiæ porcinæ.

Usus in rigiditate & aridura membrorum.

AXUNGIA VIPERINA.

Pinguedo ex *Colubro Vipera L. Vipernfette.*

Odor nullus; Sapor pinguis.

Virtus emolliens, penetrans ob tenuitatem olei.

Usus in maculis corneæ. Ingreditur

Unguentum de tutia D. Sloane quod ex ſequentibus componitur: ℞. tutiæ præparatæ ʒj, lap. hæmatit. præparati ℈j, Aloes gr. xii, margaritarum præparatarum gr. iv. bene terantur cum pinguedine viperarum, ut fiat linimentum, quod lentis magnitudine aliquoties de die oculo non inflammato illinatur. *

* *Cel.* Home *Cliniſche Verſuche* p. 175. tribus feliciter curatis caſibus efficaciam hujus linimenti demonſtrat.

AXUNGIA ANGUILLÆ.

Pinguedo *MURÆNÆ Anguillæ L. Aalfett.*
Odor nullus; Sapor pinguis.
Virtus emolliens.
Usus. Etiam ad linimenta ophthalmica adhibetur.

AXUNGIA CATI SYLVESTRIS.

Pinguedo *FELIS Cati L. Katzenfett.*
Odor nullus; Sapor pinguis.
Virtus. Præter vires emollientes aliquam vim resolventem & acrimoniam ob catorum victum animalem & vitam valde agilem, possidere videtur.
Usus. Hinc ad tumores frigidos emolliendos & resolvendos adhibetur.

AXUNGIA TAXI.

Pinguedo *URSI Melis. L. Dachsfett.*
Odor nullus; Sapor pinguis.
Virtus emolliens.
Usus ad unguenta & linimenta emollientia.

AXUNGIA CANIS.

Pinguedo *CANIS familiaris L. Hundeschmalz.*
Odor nullus; Sapor pinguis.
Virtus emolliens, lubricans.
Usus ad unguenta emollientia.

AXUNGIA PISCINA.

Pinguedo *BALÆNARUM* vel *PHYSETERUM* & *DELPHINORUM* L. *Fiſchſchmalz. Fiſchthran.*

ODOR & SAPOR ingratus, pinguis, piſcinus.

VIRTUS emolliens, reſolvens.

USUS in tinea vera capitis. * Caput illinendum, donec cruſtæ ſecedunt, dein lixivio aliquoties lavandum.

SEVUM CERVINUM.

Pinguedo *CERVI Elaphi L. Hirſchinſchlit.*

ODOR nullus; SAPOR pinguis.

VIRTUS emolliens, relaxans, involvens.

USUS ad emplaſtra. Laudatur in pernionibus, in excoriatione femorum & ani ab equitatione.

SEVUM VERVECINUM.

Pinguedo caſtratæ *OVIS Arietis L. Hamelinſchlit.*

ODOR nullus; SAPOR pinguis.

VIRTUS emolliens.

USUS ad unguenta emollientia.

---

* *Bemühungen fürs Wohl ſeiner Nebenmenſchen aus der Arzneykunde. Zweyter Theil, Leipzig.* 1780. p. 148. Dieſes neue auſſerordentlich wirkſame Mittel iſt Schuhleder-fett dicit *Cel. Author.*

Lana flaccida e collo & abdomine pendens & pinguedine farta calore partes, quibus applicatur, relaxat, hinc mammis induratis & membris rigidis inponitur.

SEVUM HIRCINUM.

Pinguedo *CAPRÆ Hirci L. Bockstalg.*

ODOR nullus; SAPOR pinguis.

VIRTUS emolliens.

USUS ad excoriationes ab equitatione & unguenta emollientia; cum oleo laurino mixtum ad perniones.

SEVUM BOVINUM.

Pinguedo solida ex omento *BOVIS Tauri L. Rindtalg, Rinderunschlitt.*

ODOR nullus; SAPOR pinguis.

VIRTUS emolliens, relaxans.

USUS ad unguenta emollientia.

MEDULLA OSSIUM.

Pinguedo *MEDULLÆ ossium bovinorum. Knochenmark.*

ODOR nullus; SAPOR mitis, pinguis.

VIRTUS emolliens, lubricans, penetrans.

USUS in anchylosi a rigiditate ligamentorum & contractura musculorum.

BUTYRUM VACCINUM.

Eſt *pars oleoſa* lactis vaccini. *Butter.*

Odor nullus; Sapor mitis, gratus.

Virtus emolliens, lubricans, relaxans.

Usus ad relaxandam vaginam ſub partu, ad enemata & cataplaſmata emollientia aut maturantia, ad ulcera, veſicatorio facta, cum vel ſine unguento baſiliconis applicatur.

BUTYRUM CACAO.

Pinguedo ex fructu *Theobroma Cacao L. Cacaobutter.*

Odor vix ullus; Sapor gratus, oleoſus. Indoles ſebacea, duriuſcula, diu nonranceſcens.

Virtus emolliens, relaxans.

Usus. In excoriationibus & fiſſuris labiorum, papillarum mammæ, ani illinitur & in hæmorrhoidibus inflammatis, in vaginæ inflammatione forma ſuppoſitorii ano vel vaginæ immittitur.

SPERMA CETI.

Pinguedo e ventriculis cerebri *Physeteris Macrocephali L. Wollrath.*

Odor pinguedinis recentis nullus; Sapor pinguis gratus. Indoles facile ranceſcens.

Virtus emolliens, relaxans.

Usus. Ingreditur ceram ad labia & emplaſtrum de ſpermate ceti.

GELATINOSA.

ICHTHYOCOLLA.

Gelatina ex veſica natatoria piſcium præſertim *ACCIPENSERIS Huſonis L. Hauſenblaſe.*

ODOR nullus; SAPOR glutinoſus.

VIRTUS glutinans.

USUS. Emplaſtra adhæſiva, ut *anglicanum*, ad unienda vulnera exinde parantur. In narium hæmorrhagia ope torundæ applicatur.

ALBUMEN OVI.

Pars albuminoſa *OVI gallinacei. Eyweiſs.*

ODOR nullus; SAPOR fatuus, gelatinoſus. INDOLES glutinoſa.

VIRTUS plaſtica, demulcens.

USUS. Cum *alumine* conquaſſatum oculis inflammatis applicatur, at conglutinando cilia & palpebras incommodum eſt & lachrymas retinet. Cum *Spiritu vini* conquaſſatum linimentum format in excoriatione a decubitu utile.

VITELLUS OVI.

Pars flava *OVI gallinacei. Eyerdotter.*

ODOR nullus; SAPOR gelatinoſus; INDOLES gelatinoſo-oleoſa.

Virtus emolliens, relaxans, ſubigens oleoſa cum aquoſis.

Usus ad cataplaſmata emollientia, ad ambuſtiones & ulcera veſicatorio induƈta. Ad diluendas reſinas & olea: ſic terebinthina cum ovi vitello in *linimentum digeſtivum* ſubigitur.

GLUTEN SCRINIARIORUM.

Gluten gelatinoſum ex tendinibus & membranis animalium paratum. *Shreinerleim.*

Odor nullus; Sapor gelatinoſus. Indoles gelatinoſa.

Virtus plaſtica, glutinans.

Usus. Scriniarii vulnera hoc glutine ſibi uniunt & feliciter ſanant.

SPERMA RANARUM.

Eſt ſubſtantia glutinoſa, germina ovulorum *Ranæ temporariæ L.* gerens, tempore verno aquis innatans. *Froſchlaich.*

Odor nullus; Sapor glutinoſus. Indoles glutinoſa.

Virtus glutinans, uniens.

Usus. Ob glutinoſitatem ad emplaſtra recipitur.

CASEUS.

Eſt pars glutinoſo-oleoſa laƈtis. *Kās.*

Odor ſubfoetidus; Sapor ſubacris.

Virtus emolliens, ſuo ſale volatili reſolvens.

Usus. Furia infernalis, cuti immersa, caseo *recenti* insecti puncturæ applicato allicitur, ut in caseum exeat. Caseus *rancidus* tophos podagricos resolvit.


ALBUM GRÆCUM.

Est foex alvina CANIS. *Familiaris L.* ossa rodentis. *Weisser Hundekoth.*

ODOR & SAPOR mollis.

VIRTUS maturans, septica.

USUS in maturando tumore indurato mammarum. *



GUMMOSA.

GUMMI ARABICUM.

Gummi ex *MIMOSA nilotica L. Arabisches Gummi.*

ODOR nullus; SAPOR insipidus. INDOLES in aqua, non vero in spiritu vini solubilis.

VIRTUS obvolvens. Olea, resinas, balsama & mercurium vivum cum aqua subigens.

USUS. Pulverisatum gummi cum saccharo mixtum inspergitur papillis mammarum aut aliis partibus excoriatis. *Mucilago* oculis, urethræ, vaginæ,

* *Jll.* LINNÆI *amoenitat. academic. Vol.* IV. p. 61. dicit Jllustris vir non dari præstantius remedium suppurationem movens quam album græcum.

ano ad inviſcandam acrimoniam vel medicamenta acria obtundenda applicatur. *Gargariſma* ex mucilagine arabica ardorem faucium a ſalivatione excitatum corrigit.

FORMA Gummi arabici ℥j in libra aquæ ſolvitur pro gargariſmate.


GUMMI TRAGACANTHÆ.

Gummi ex *ASTRAGALO Tragacantha L. Gummi Dragant.*

ODOR nullus; SAPOR inſipidus, gummoſus. INDOLES valde viſcoſa: ʒj libræ civili aquæ ſyrupi ſpiſſitudinem inducit.

VIRTUS obvolvens, glutinans.

USUS. Fiſſuras papillarum & labiorum conſolidat. Collyriis obvolventibus additur.



GUMMI RESINOSA.

GUMMI AMMONIACUM.

Gummi-reſina ex ignota quadam *FERULÆ* ſpecie ſtillans. *Gummi Ammoniak.*

ODOR fragrans, gravis, in galbanum incidens; SAPOR amaricans, graviuſculus, linguæ inhærens. *Trituratione* ſolvitur in aqua, vino, aceto.

VIRTUS reſolvens & ſimul emolliens.

Usus. Aceto in formam emplaſtri ſolutum ſolvit tumores articulares, ganglia, lupias, tumores induratos. *

GUMMI BDELLIUM.

Gummi-reſina ex *arbore* nondum ſatis cognita. *Bdellium.*

Odor gravis; Sapor amaricans, in terebinthinam incidens. *Digeſtione* in aqua calida ad dimidium ſolvitur.

Virtus maturans, vulneraria.

Usus ad unguenta maturantia & balſama vulneraria.

GUMMI GUAJACUM.

Gummi-reſina, ex ligno vel arbore Guajaco *officinali L. Franzoſenholz - Harz.*

Odor reſinæ nullus, at prunis injectæ gratus, aromaticus. Sapor amaricans, acriuſculus.

Virtus reſolvens.

Usus. Tinctura in odontalgia & ulceribus laudatur.

OLIBANUM.

Gummi-reſina ex Junipero *Lycia L. Weyrauch. Thus.*

Odor balſamicus, reſinoſus; Sapor balſamicus, ſubamaricans.

---

* *Jll.* Richter *Chir. Bibl.* 4. *B.* 4. *St.* 749. *S.*

Virtus vulneraria.

Usus ad essentias vulnerarias & suffimigia discutientia. Ovi albumine liquatum olibanum maculas & cicatrices cutis delere dicitur.

STYRAX CALAMITA.

Gummi-resina *Styracis officinalis L. Storax.*

Odor fragrans, fortis, unctuosus; Sapor resinosus vix amaricans. Indoles magis resinosa quam gummosa.

Virtus vulneraria, balsamica.

Usus ad balsama vulneraria & suffimigia discutientia. *Unguentum de Styrace* in vulneribus ligamentorum, membranarum & in gangræna, at cum camphora mixtum, laudatur.

GUMMI OPOPANAX.

Pastinaca Opopanax L. dat hanc gummi-resinam. *Gummi Opopanax.*

Odor gravis ad gummi ammoniacum accedens. Sapor amaricans, nauseosus, diu faucibus & ori inhærens. Indoles in aqua trituratione solubilis.

Virtus vulneraria, resolvens.

Usus in tumoribus frigidis forma emplastri, in vulneribus & ulceribus forma balsami vel aquæ vulnerariæ.

SARCOCOLLA.

Penæa mucronata L. dat hanc gummi-resinam. *Fleischleim.*

ODOR debilis; SAPOR primum ſubdulceſcens, tum amaricans, acriuſculus. INDOLES in aqua frigida omnino ſolubilis, in ſpiritu vini non niſi ad partem.

VIRTUS vulneraria.

USUS ad vulnera & ulcera. Lacte ſolutum gummi in maculis corneæ laudatur. *

LADANUM.

CISTUS creticus L. fundit hanc reſinam. *Gummi Ladan.*

ODOR balſamicus gratus; SAPOR debilis balſamicus. INDOLES in ſolo vini ſpiritu ſolubilis.

VIRTUS roborans, reſolvens.

USUS ad eſſentias vulnerarias.

GALBANUM.

BUBON Galbanum L. hanc gummi-reſinam lachimatur. *Mutterharz.*

ODOR gravis, ad ammoniacum accedens; SAPOR gravis amaricans. INDOLES in ſpiritu vini & maximam partem in aqua & aceto ſolubilis, non vero in oleis.

VIRTUS ſtimulans, reſolvens, maturans.

USUS. *Emplaſtrum de galbano* ad furunculos, bubones alioſque tumores maturandos adhibetur.

---

* *Cel.* SCHRÖDER *Pharm.* p. 752,

MYRRHA

Gummi-resina *arboris* hucusque ignotæ. *Myrrhe.*

ODOR fragrans, vix ingratus; SAPOR amarus, odori congruens. INDOLES multum resinosa, vix aqua solubilis.

VIRTUS antiseptica, anticariosa, vulneraria, anthelminthica.

USUS in gangræna, carie, ulceribus verminosis, putridis, antiscorbuticis.

SAGAPENUM.

Gummi-resina plantæ, cujus notitia adhucdum botanicos fugit. *Gummi Sogapen.*

ODOR graveolens, foetidus; SAPOR gravis in asam foetidam incidens. INDOLES. Gummosa pars non major est resinosa.

VIRTUS resolvens.

USUS ad solvendos tumores induratos & scrophulas.

ASA FEOTIDA.

Gummi-resina ex radice *FERULÆ Asæ foetidæ. L. stinkender Asond. Teufelsdrek.*

ODOR foetidissimus, alliaceus; SAPOR amaricans, acris, mordens, diutissime inhærens. INDOLES duplo plus gummosa quam resinosa.

VIRTUS resolvens, & emolliens.

USUS

Usus. Ad ſcrophulas, parotides & alios tumores induratos ſolvendos adhibetur. Pediculos inguinales ſuo foetore abigit. Enema ex aſa foetida in tympanitide proficuum fuit.

GUMMI ANIME.

Hymenæa *Courbaril L.* largitur hanc reſinam. *Gummi Anime.*

Odor fragrans, balſamicus, in baccas juniperi incidens; Sapor debilis, reſinoſus. Indoles. Solvitur in ſpiritu vini & oleo; in aqua vix ſolvitur. Prunis injecta non accenditur, at fumo grato conſumitur.

Virtus vulneraria.

Usus ad balſama vulneraria; ad ſuffimigia grata.

GUMMI BENZOE.

Croton Benzoë. L. hanc reſinam lachrymatur. *Benzoë. Aſa dulcis.*

Odor fragrans, balſamicus, non ingratus; Sapor ſubdulceſcens, reſinoſus, balſamicus. Indoles in ſpiritu vini ſolubilis, in aqua non perfecte.

Virtus vulneraria, balſamica, albo-cosmetica.

Usus. *Tinctura benzoes* ad vulnera & ulcera pura adhiberi poteſt. Tinctura hæc aquæ inſtillata hanc lacteſcere facit; hæc aqua *lac virginis* audit, quia albo pigmento cutem obducit.

GUMMI ELEMI.

Amyris elemifera L. hanc largitur reſinam. *Wild Oelbaumharz. Elemi-gummi.*

Odor fragrans ad galbanum accedens; Sapor gravis, amaricans. Indoles, ſolvitur in Spiritu vini ſed non in aqua, in oleo expreſso ad partem ſolvitur.

Virtus vulneraria.

Usus. Ingreditur *Arcæi balſamum*, quod adeo frequenter ad vulnera ſananda adhiberi ſolet.

MASTIX.

Pistacia Lentiſcus L. lachrymatur hanc reſinam. *Maſtix. Maſtiche.*

Odor debilis, balſamicus. Sapor debilis, gratus, vix manifeſte balſamicus. Indoles. Non ſolvitur in aqua, ſolummodo odorem ei communicat. In ſpiritu vini ſolvitur remanente decima parte non ſolubili. Solvitur in oleo deſtillato non autem in oleo expreſſo.

Virtus eſt vulneraria, roborans.

Usus. Pulvis vel ſuffimigium in prolapſu inteſtini recti applicatur, eodem emphyſema diſſipatur. *Esſentia maſtiches* ad vulnera & ulcera ſananda eſt egregium medicamentum, nec non ad oſſa nudata aut læſa; hæc pellicula balſamica aërem arcendo incruſtat & ſic a carie præſervat. Eſsentia maſtichina, cum ſublimati granis quibusdam mixta, eſt

efficaciſſimum remedium in ulceribus venereis. Pulveribus dentifriciis additur. Feminæ turcicæ reſinam maſtiches crebro mandunt, ut albedinem dentium ſervent gratumque oris halitum ſpirent.*

TACAMAHACA.

FAGARA octandra vel *POPULUS balſamifera. L.* hanc gummi-reſinam dat *Takamahak.*

ODOR gratus, fragrans, validus in flores lavandulæ incidens. SAPOR leniter amaricans, odori conformis. INDOLES. Solvitur in oleo expreſſo, imperfecte autem in ſpiritu vini & oleo terebinthinæ

VIRTUS roborans, reſolvens.

USUS ad *emplaſtrum odontalgicum.* Suffitus in doloribus aurium, dentium & artuum a rheumatiſmo chronico natis laudatur.

SANDARACA.

JUNIPERUS communis L. hanc plorat reſinam. *Wacholderharz.*

ODOR balſamicus, gratus, fere maſtiches; SAPOR debilis. INDOLES. Solvitur in ſpiritu vini, ſed non in aqua. In oleo ſolvitur imperfecte.

VIRTUS balſamica, vulneraria.

USUS ad ſuffimigia diſcutientia. Demum pulvis & tinctura ad ulcera & cariem, ſanandam adhibetur.

* *Cel.* HASSELQUIST. *Reſa* p. 523.

Scribæ pulvere ſandaracæ ſolent chartam cultro raſam fricare ne atramentum penetret.

RESINA VULGARIS.

Reſina e caudicibus variarum *PINORUM* præcipue *PINI Abietis L.* collecta, non cocta ſed ad ſolam depurationem ignis ope liquefacta. *Fichtenharz, weiſſes Pech. Reſina alba. Pix alba.*

ODOR, ſi accenditur, ingratus. SAPOR balſamicus, ingratus.

VIRTUS adhæſiva, irritans.

USUS emplaſtri forma ut rubefaciens inter ſcapulas affigitur in variis capitis & oculorum morbis. Forma *Dropacis* ad tineam ſeparandam ſequenti modo adhibetur.

Reſina alba cum admixta pauca farina ſecalina, ut ductilior evadat, linteo caraſſo inducitur, iſtudque in longas lacinias parvum digitum latas ſciſſum, & calore prunarum ardentium emollitum, ut melius adhæreſcat, locis tinea affectis, abciſſis ante forfice capillis, imponitur, laciniæque, ubi refrixere (quod brevi admodum evenit) denuo lente, ne multos creent dolores, auferuntur, quas capilli quoque morboſi iis adhæreſcentes ſequuntur. Tum litus ex oleo lini & liquore Belloſti adhibetur, quo loca affecta bis in die imbuuntur. *

---

* *Cel.* FRITZE *Medic. Annalen.* 1. *B.* p. 311.

PIX SOLIDA.

Resina nigra destillatione per descensum e ligno variarum Pinorum præcipue *PINI sylvestris L:* parata. *Schwarzes Pech.* Dicitur etiam *pix navalis* & *pix sutoria.*

ODOR fragrans, plerisque ingratus; SAPOR amarus.

VIRTUS. Cuti applicata tenaciter adhæret, eandemque rubefacit. Emplastris variis tenacitatis causa præcipue additur.

USUS. In clavis pedum laudatur * Tinea dropace, id est pice linteo illita, capiti applicato & violenta dein manu ablato curatur. At crudele est remedium; hinc extremum sit in tinea contumaci. **

COLOPHONIUM.

Est *Terebinthinæ resina*, per se absque aquæ additamento destillata, remanens. *Geigenharz.*

Terebinthina cocta est resina post destillationem cum aqua remanens.

ODOR & SAPOR balsamicus.

VIRTUS vulneraria, digestiva, adhæsiva, resolvens.

USUS. *Pulvis* colophonii sub nomine *digestivi sicci* inspergitur ulceribus & vulneribus ut suppuratio moveatur & dein consolidatio procuretur. De-

* *Act. Hafn.* Vol. I. p. 41.

** Curationes tineæ ope dropacis recenset STEGER in *diss. de Tinea. Budæ* 1782. p. 40.

Demum in vulneribus penetrantibus articulationum & tendinum, in hydrocele, in lupia atque in tumoribus articulorum albis laudatur. *

Eſſentia colophonii in vulneribus ligamentorum & tendinum: *Suffitus* colophonii in prolapſui ani adhibetur.

Forma in tumore vel vulnere articulari. Plumaceolum tumore articulari aliquantum majus in formam nidi avicularis contortum ad digiti craſſitiem pulvere colophonii impletur, dein ſpiritu vini rectificato humectatur ac ſuper tumore faſcia firmatur. Quotieſcunque ſicceſcit, ſine ablatione exterius ſpiritu vini irroratur. Omni triduo novus talis apparatus applicatur; ſic intra 3. vel 4. ſeptimanas curabantur tumores & vulnera articulorum.

SANGUIS DRACONIS.

Calamus Rotang L. hanc reſinam ſudat. *Drachenblut.*

Odor & Sapor nullus. Indoles. Tenuiter pulverata reſina colore ſanguineo inficit cutem. In aqua non ſolvitur nec niſi ſpiritu vini valde rectifica-

---

* *Cel.* Van List *Beobachtungen über die auflöſende Kraft des Kolophoniums in den Weiſſen Geſchwülſten.* Vide *Sammlung auſerleſener Abh. zum Gebrauch practiſcher Aerzte.* 5. B. 3. St. 458. S.

to. In oleo non ſolvitur, at illud colore ſanguineo tingit.

VIRTUS vulneraria, rubro-coſmetica.

USUS. Ingreditur *balſamum Locatelli* & *electuarium ad ſtomacacem.*

GUMMI CARANNÆ.

Eſt gummi-reſina *PALMÆ* cujusdam adhuc incognitæ. *Caranna.*

ODOR fragrans, in ammoniacum incidens; SAPOR debilis, reſinoſus. INDOLES magis reſinoſa quam gummoſa; pars quarta in aqua, tres partes in ſpiritu vini ſolubiles ſunt.

VIRTUS reſolvens, roborans.

USUS in articulorum laxitate.

ALOE.

Succus gummoſo-reſinoſus ex foliis *ALOËS perfoliatæ L. Aloe.*

ODOR graveolens, nauſeoſus; SAPOR amariſſimus. INDOLES gummi-reſinoſa, hinc partim in aqua partim in ſpiritu vini ſolubilis. *Aloe ſuccotrina* tota in ſpiritu vini ſolvitur.

VIRTUS vulneraria, detergens, antiputredinoſa at longo tempore ulceri vel vulneri applicata diarrhæam cum hæmorrhoidum intumeſcentia cauſat.

USUS in ulceribus ſordidis, verminoſis, carioſis. Demum ſuppoſitona hæmorrhoides moventia ingreditur.

GUMMI GUTTÆ.

Gambogia Gutta L. ſauciata dat hanc Gummi-reſinam. *Gummigutte.*

Odor nullus; Sapor vix ullus.

Virtus acris, abſtergens.

Usus commendatur in herpete. *

GUMMI HEDERÆ ARBOREÆ.

Hedera Helix L. hanc reſinam lachrymatur. *Epheu*

Odor, dum fricatur, gratus; Sapor reſinoſus, ſubadſtringens.

Virtus vulneraria, ſubadſtringens, leniter aromatica.

Usus ad tincturas vulnerarias. Particula gummi denti carioſo indita odontalgiam ſedare dicitur. *

CAMPHORA.

Eſt reſina volatilis & ſui generis ex *Lauro Camphora L. Kampfer.*

Odor fragrantiſſimus, penetrans, ad roſmarinum accedens. Sapor calidiſſimus, amaricans.

Indoles. Solvitur in ſpiritu vini, oleis expreſſis, lacte, mucilagine gummi arabici, aceto, ſucco citri, aëre fixo.

---

* *Cel.* Barrere.

* Chomel *Pl. uſuel.* p. 379.

Non ſolvitur ab alcalinis fixis aut volatilibus ſalibus nec ab aqua calida. A ſpiritu nitri fumante & aqua regia in formam olei ſupernatantis reducitur.

VIRTUS antiſeptica, reſolvens, anthelminthica, ſenſilitatem nervorum minuens & irritabilitatem ut opium augens.

USUS. In gangræna, in ulceribus putridis & verminoſis crurum, in carne fungoſa, pulvis camphoræ cum ſaccharo tritæ inſperſus prodeſt vi antiſeptica. **

Ulcerum inveteratorum dolorem ſiſtit vi anodyna forma mucilaginis applicata, ut ℞. Mucilaginis gummi arabici ℔j camphoræ ℥iß. m. f. m.

In tinea & ſcabie capitis aut aliis morbis cutaneis *lacte* ſoluta camphora egregium detergens eſt.

Camphora *oleo* ſoluta tumores cyſticos, maculas corneæ, ophthalmiam chronicam & palpebrarum tumores ſolvit aut emollit.

Acetum camphoratum in emphyſemate profuit.

Oleum camphoræ cauſticum carnem fungoſam aufert, laudatur etiam in polypo * vide *cauſtica*.

** *Cel.* COLLIN *camphoræ vires, ſive obſervationum circa morbos acutos & chronicos factarum pars III.* Viennæ. 1723.

* *Cel.* GESNER *Entdekungen* 2. *Th.* p. 561.

BALSAMICA.

Resinæ *liquidæ* seu succo vegetabili solutæ hanc classem constituunt.

BALSAMUM COPAIVÆ.

Copaifera officinalis L. arbor est; ex qua hoc balsamum effluit. *Copaivabalsam.*

Odor fragrans, balsamicus, non ingratus; Sapor pinguis, amaricans, subaromaticus, resinosus. Indoles. Cum vitello ovi vel mucilagine gummi arabici in aqua trituratum abit in mixturam emulsivam. In oleis expressis & stillatitiis bene solvitur.

Virtus vulneraria, antiputredinosa.

Usus ad consolidanda vulnera.

OPOBALSAMUM seu BALS. de MECCA.

Arbor *Amyris Opobalsamum L.* dat hoc balsamum. *Mechabalsam. Opobalsam.*

Odor gravissimus, fragrantissimus ut menthæ gentilis; Sapor aromaticus, amaricans, calidiusculus, acriusculus. *Genuinum* balsamum nusquam nec in ipsa urbe Constantinopoli venale prostat; per solos magnates ad nostras regiones pervenit.

Criterium genuini Opobalsami est, si guttula ex altitudine duorum pollicum aquæ instillata, mo-

mento citius in aquæ ſuperficie in rotundam nummi minoris pelliculam ſeſe expandat, quæ poſt horæ circiter quadrantem adeo tenax evadit, ut cultelli apice in altum ſine dilaceratione attolli queat.

Virtus vulneraria. Vis coſmetica eſt imaginaria. *

Usus ad vulnera conſolidanda.

BALSAMUM de TOLU.

Arbor *Toluifera Balſamum L.* ſtillat hanc ſemiliquidam reſinam. *Tolutaniſcher Balſam.*

Odor gratus, fragrans; Sapor balſamicus

Virtus vulneraria.

Usus ad vulnera & ulcera conſolidanda.

BALSAMUM PERUVIANUM.

Arbor *Peruifera L.* largitur hoc balſamum. *Peruvianiſcher Balſam.*

Habetur nigrum & album. *Album* ſponte ex arbore exſudat, præſtantius eſt nigro at raro genuinum invenitur. *Nigrum*, quod ex cortice & virgultis arboris per coctionem parari dicitur, vilioris eſt pretii.

---

* *Ill.* Wortley Montague opobalſamo faciem ſuam inunxerat, at proximo mane tota facies ipſi um rubore intumuit atque in eo ſtatu per tres continuos ies perrexerat, quibus finitis ſe nequaquam formoſiorem, uam fuerat antea, deprehenderat. *Lettres.* T. 2. p. 54.

ODOR exacte ut ſiliquæ vanillæ, adeo fragrans, ut e longinquo percipiatur; SAPOR pinguiuſculus, amaricans, acriuſculus.

VIRTUS vulneraria, conſolidans, antiſpaſmodica, irritabilitatem ſopiens. *

USUS ad ſananda vulnera nervorum, tetanum vel convulſionem inducentia.

STORAX LIQUIDA.

LIQUIDAMBRA Styraciflua L. lachrymatur hoc balſamum. *Flüſſiger Storax.*

ODOR fragrans in ſtoracem calamitam incidens; SAPOR unctuoſus, acriuſculus.

VIRTUS vulneraria, antiſeptica.

USUS. Ad vulnera, ulcera & gangrænam, unguentem de Styrace laudatur.

PIX LIQUIDA.

Eſt reſina liquida, deſtillatione per deſcenſum ex tæda *PINI ſylveſtris L.* elicita *Theer.*

ODOR balſamico-fumoſus; SAPOR tædæ pinguiuſculus. Conſtat ex reſina pini in ſucco propriæ arboris ſoluta, fuligineque tincta.

VIRTUS vulneraria, digeſtiva.

---

* *Cel.* KIRKLAND'S *Verſuch über die Kindbettfieber.* p. 25. Tetanus a vulnere calcanei natus ſola externa applicatione balſami peruviani ſanabatur.

Usus ad *infusum picis*, quo ulcera crurum deligari possunt. *Unguentum* ex pice liquida & sevo ovillo instar unguenti digestivi in vulneribus ulceribus & variis efflorescentiis cutaneis usurpari potest.

BALSAMUS HUNGARICUS.

Pinus sylvestris Mugo L. Krummholzbalsam, hunc balsamum ex apicibus ramorum sponte exsudat, e quibus ampullis vitreis colligitur.

Odor & Sapor terebinthinaceus.

Virtus vulneraria, calefaciens.

Usus. In vulneribus, ulceribus, rheumatismis chronicis, paralysi, spasmo & podagra quondam laudabatur. *

BALSAMUS CARPATHICUS.

Pinus Cembra L. hunc balsamum largitur. *Carpathische Balsam.* Etiam *balsamus Libani dicitur.*

Odor & Sapor ad oleum juniperi accedit.

Virtus balsamica, vulneraria.

Usus. In susurru aurium & difficultate auditus guttatim instillatur.

TEREBINTHINA.

Est resina liquida, quam *Pinus Larix L.* exstillat. *Terpenthin.*


---

* *Cel.* Fischer in *Bresl. Samml. Vers.* p. 331.

ODOR resinosus, validus; SAPOR pinguiusculus, resinosus, subamaricans.

VIRTUS vulneraria, antiseptica, valde adhæsiva; ideo emplastris additur.

USUS ad vulnera in supurationem ducenda & consolidanda cum ovi vitello in unguentum, quod *digestivum* vocant, redigitur. Forma *clysmatis* in fistula ani interna applicatur. * Unguentum e terebinthina in linea fuit utile deprehensum. **



BITUMINOSA.

Sunt medicamenta resinis similia, non vero ut hæ spiritu vini sed solo æthere solubilia.

AMBRA.

AMBRA ambrosiaca L. Ambra.

ODOR gratissimus. SAPOR resinosus, aromaticus.

---

* Fistula ex intestino recto in vesicam urinariam penetrans clysmate ex terebinthina mediante vitello ovorum aquæ immixta sanabatur. *Cel.* PEREBOOM *descriptio & iconica delineatio stomachidæ* p. 28.

** *Cel.* THONERUS in *observ. med.* L. 4. *Cap.* de *Scabie. obs.* 14. p. 210. femina tineam siccam crustosam cum totius capitis alopecia gerens unguento e terebinthinæ ℥v & unguenti rosati ℥iiß confecto intra 8 dies sanata dicitur.

Virtus vulneraria.

Usus. Ingreditur *balſamum Commendatoris.*

SUCCINUM.

Succinum electricum L. Bernſtein. Agtſtein.

Odor, ſi prunis ardentibus injicitur, fragrans; Sapor ſubacris.

Virtus vulneraria, reſolvens.

Usus. *Eſſentia* ad vulnera tendinum, & oſſa nudata.

PETROLEUM.

Naphtha Petroleum L. Bergöl. Steinöl. Eſt bitumen liquidum.

Odor graveolens. Sapor reſinoſus, ingratus.

Virtus reſolvens.

Usus Curat atque præcavet perniones & in odontalgia genæ illinitur.

MALTHA.

Naphtha Malthæ L. Bergtheer.

Odor graveolens; Sapor balſamicus, ingratus.

Virtus balſamica vulneraria.

Usus in tumoribus & ulceribus peſtilentialibus *

---

* *Ill. L. B.* Asch unguentum digeſtivum ex maltha paratum in morbo peſtilentiali Anni 1770 valde efficax deprehendit. v. *Cel.* Blumenbach *Handbuch der Naturgeſchichte. 2. Th. 520. S.*


ASPHALTUM

Bitumen Asphaltum L. Judenpech. Bitumen judaicum.

Odor & Sapor bituminosus.

Virtus vulneraria, antiseptica.

Usus ad ulcera sordida, & condienda cadavera.



SULPHUREA.

SULPHUR.

Sulphur citrinum L. Schwefel. Est minerale ex acido vitrioli & phlogisto constans.

Odor sulphureus, proprius, accensi vero sulphuris suffocans. Sapor fatuus Indoles. Solvitur oleis, salibus alcalinis, non autem spiritu vini, vel aqua.

Virtus resolvens, vulneraria, antiscabiosa.

Usus *Unguentum ex sulphure* in scabie tuto illinitur, si hæc ab infectione externa ortum habet. Si vero scabies a sordibus primarum viarum vel massæ humorum producitur, tunc obturando poros cutaneos excretionem acrimoniæ scabiosæ impedit. *Unguentum* e sulphure cum *succo citri* mixtum ad curandam teneam capitis laudatur. *

* Steger *diss. de tinea. Budæ.* 1782. p. 33.

Alii

Alii *emplastrum sulphuris* in scrophulis laudant. Ex calcis vivæ & sulphuris apyreti anaticis partibus ad ℔j in aquæ dulcis ℔xxx fervide infusis *Balneum artificiale sulphureum* in scabie, rheumaticis et arthriticis doloribus utile parari solet. *

Balsamus sulphuris ex sulphure & oleo lini detergens & exsiccans est ulcerum remedium **


PHOSPHORUS.

Est sulphuris liquidi species, quæ ex acido phosphorico & phlogisto constat. *Phosphorus.*

Odor alliaceus; Sapor acidus, fatuus.

Virtus solvens.

Usus. Ad callositates separandas adhibetur. ***



CERACEA.

CERA.

Cera *Apum. Wachs.* Est substantia tenax ab *Ape mellifica L.* ex antherarum polline collecta, elaborata & in favos una cum melle reposita.

---

* *Ill. L. B.* Cranz *materia medica* T. 2. p. 142.

** *Ill.* Acrel *Chir. Vorfälle* 1777. *B.* I. 330. & variis aliis locis.

*** *Cel.* Theden *Unterricht für Unterwundärzte. Berlin.* 1773.

Habetur cera *citrina*, quæ naturalis & cera *alba*, quæ iterata lotura ad ſolem albeſcit. Alba fragilior, citrina mollior eſt.

Odor & Sapor ceræ citrinæ eſt melleus. Indoles nec in aqua nec in ſpiritu vini ſolubilis. *Deſtillata* dat phlegma acidum & oleum butyraceum.

Virtus emolliens, plaſtica.

Usus. Ob plaſticitatem ingreditur emplaſtra, cerata, candelulas & ſpongiam ceratam.

Linteum ceratum loco emplaſtri plumaceolis retinendis in vulneribus & ulceribus valde efficax inveni. Hoc enim linteum ceratum plumaceola ſervat humida & cuti non inducit ruborem, ut emplaſtra ſolent.

Ceromel, quod ex 4. partibus mellis & una parte ceræ albæ vel flavæ calore liquatis conſtat, egregium eſt ceratum pro ulceribus & vulneribus tegendis *

FARINA LYCOPODII.

Eſt pollen antherarum *Lycopodii clavati L. Hexenmehl. Sulphur lycopodii.*

Odor & Sapor nullus; Indoles ceracea, ad flammam ardens,, aqua non madeſcens. **

Virtus leniens.

---

* *Cel.* Aitkens *Anfangsgründe der Wundarzneykunſt. p.* 176.

** *Ill.* Bergii *m. m.* p. 852.


Usus in excoriationibus, papillarum fiſſuris, infantum intertrigine. * Pilulæ hac farina conſperguntur, ne conglutinentur.

GUMMI LACCÆ.

Eſt cera reſinoſa ſeu concretum reſinoſo - ceraceum quod gallas reſinoſas in arbore *Croton lacciferum L.* dicta format. *Gummilack.*

Odor & Sapor nullus. Indoles. Nec in aqua nec in oleis expreſſis ſolvitur, ſed ex affuſa aqua calida ſubito extrahitur principium colorans, kermeſinum. In ſpiritu vini ſolvitur digeſtione, tinctura rubicunda.

Usus. *Tinctura laccæ* ad ſtomacacen & dentium vacillationem.



OLEOSA EMPYREUMATICA.

OLEUM SUCCINI.

Eſt oleum e ſuccino deſtillatum & rectificatum. *Bernſteinöl.*

Odor & Sapor empyreumaticus.

Virtus reſolvens, penetrans.

Usus. Membris paraliticis, tumoribus frigidis applicatur.

* *Ill.* Halleri *Stirp. helv.* p. 92.

OLEUM ANIMALE DIPPELII.

Eſt oleum ex cornu cervi deſtillatum. *Dippels Thier-Oel.*

Odor penetrans, gratus, aromaticus. Sapor oleoſus, dulceſcens.

Virtus reſolvens, penetrans, antiſpaſmodica, anodyna.

Usus in tuberculis arthriticis, glandulis induratis, tumoribus cyſticis & oſſeis reſolvendis. In partibus ſpaſmo contractis vel agitatis laudatur.

OLEUM LATERITIUM seu PHILOSOPHORUM.

Eſt oleum olivarum cum lateribus in pulverem redactis deſtillatum. *Zigelſteinöl.*

Oleum ſic acre, tenuius & penetrantius evadit

Virtus reſolvens.

Usus. In paralyſi, rheumatiſmo & ulceribus ſordidis laudatur.

F U L I G O.


Fuligo furni ſplendens. Ofenrus; eſt ſubſtantia oleoſo-ſalina, empyreumatica, e fumo lignorum combuſtorum orta, fornacibus & caminis adhærens.

Odor ingratus; Sapor nauſcoſus, amarus. Indoles. Omnibus patet menſtruis tam aquoſis, quam ſpirituoſis.

VIRTUS resolvens, vulneraria.

USUS ad ulcera serpentia, tumores frigidos & herpetem miliarem laudatur. Aqua vulneraria fuliginis sic paratur:

R. Aquæ calcis vivæ ℔j, fuliginis furni splendentis ℥j, pulv. cerussæ ℥ß, coquantur per $\frac{1}{4}$ horæ, dein adde liquaminis myrrhæ ℥ß m. f. aq. pro fomento. *



OLEOSA ÆTHEREA.

OLEUM TEREBINTHINÆ.

Est oleum ex *terebinthina* destillatum. *Terpenthinöl.*

ODOR fragrans; SAPOR acris, oleosus.

VIRTUS vulneraria, antiseptica, ** resolvens, stimulans.

USUS. In puncturis recentibus nervorum & tendinum hoc oleum calide vulneri infunditur *** Sed

* *Fragmente zur Arzney, Naturkunde.* I. *Päckgen.* p. 31. & II. *Päckgen.* p. 84. ubi cum aqua vulneraria fuliginis cancer serpens nasi & faucium, qui usu mercurii deterior evadebat, curatus recensetur.

** Cadavera, quorum vasa oleo terebinthinæ replentur, glutinosa potius degeneratione quam putredine destrui dicit *Ill.* HALLERUS *Hist. stirpi. helv.* n. 1657.

*** *Cel.* DIONIS *Cours d'oper.* p. 681.

præſente jam inflammatione nocet. Siſtit hæmorrhagias mediocrium arteriarum, ſi calide applicetur. Tumores rheumaticos frigidos & cyſticos, ut vidi, quandoque reſolvit. Gangrænæ putredinem facta ſcarificatione efficaciter coercet. Imo efficacius, quam cortex peruv. & ſpiritus vini. Cuti infricatum urinam pellit & odore violaceo imbuit.

OLEUM CINAMOMI.

Oleum e *cinamomo* deſtillatum. *Zimmetöl.*

ODOR & SAPOR fragrans, gratus.

VIRTUS ſtimulans, cauſtica

USUS. In carie oſſium laudatur. *

OLEUM CARYOPHYLLORUM.

Eſt oleum e *caryophyllis* aromaticis deſtillatum. *Nelkenöl.*

ODOR & SAPOR fragrantiſſimus.

VIRTUS ſtimulans, cauſtica.

USUS. Goſsypio inſtillatum denti carioſo inditum odontalgiam ſiſtit, ſi nervum contigerit. Etiam in gangræna & carie oſſium laudatur.

OLEUM LAVENDULÆ.

Eſt oleum e floribus *lavendulæ* deſtillatum. *Lavendelöl.*

* TULPIUS *obſervationes.*

ODOR & SAPOR fragrans.

VIRTUS nervina, roborans, resolvens.

USUS. Usum eximium in jam inveteratis grandinibus & palpebrarum tumoribus cysticis præstat. *

OLEUM CAJEPUT.

Oleum ex *Leptospermo Leucadendro L.* destillatum. *Cajeputöl.*

ODOR & SAPOR fragrantissimus.

VIRTUS resolvens, anodyna.

USUS in odontalgia, in ani varicibus ** in suggillatione.

OLEUM ANISI.

Oleum e semine *anisi* destillatum. *Anisöl.*

ODOR & SAPOR fragrans.

VIRTUS antiphthyriaca, resolvens.

USUS. Guttæ quædam capiti inspersæ pediculos necant. Tumores cysticos resolvit.

OLEUM SABINÆ.

Oleum ex herba *sabinæ* destillatum. *Sadebaumöl.*

ODOR & SAPOR fragrans.

VIRTUS irritans, anthelminthica.

---

* *Pharmacia rationalis.* §. 183.

** *Ill.* LINNÆI *mat. med.* 1782. p. 203.

Usus. Ad ossa cariosa applicatur, ulcera a vermibus præmunit. Ulcera manantia exsiccat.

OLEUM LAURINUM.

Oleum e foliis *lauri* destillatum. *Lorbeeröl.*

Odor & Sapor fragrans.

Virtus stimulans, calefaciens.

Usus. Roborat articulos laxos; cum sevo mixtum perniones curat.

OLEUM LIGNI SASSAFRAS.

Oleum e ligno *sassafras* destillatum. *Sassafrasöl.*

Odor & Sapor fragrans.

Virtus stimulans.

Usus. In carie venerea laudatur.

OLEUM TEMPLINUM.

Est oleum ex ramis tenellis *Pini sylvestris Mugo L.* destillatum. *Krummholzöl.*

Odor gratus; Sapor oleoso-acris.

Virtus vulneraria.

Usus. In tendinum & nervorum puncturis sub connubio spiritus formicarum laudatur. Veterinariis in ulceribus manantibus pecorum in usu est. *

---

* *Cel.* Lange *Brunsv. dom.* p. 138.

OLEUM JUNIPERI.

Eſt oleum e baccis *juniperi communis L. Wacholderbeeröl.*

ODOR gratus, aromaticus; SAPOR acris, oleoſus, aromaticus.

VIRTUS reſolvens, diſcutiens.

USUS. Cum oleo lumbricorum terreſtrium & ſpiritu juniperi mixtum membris arthritide contractis & paralyticis motum reſtituit. *.

OLEUM BETULINUM.

Eſt oleum ex *BETULA alba L.* deſtillatum *Birkenöl.*

ODOR gravis; ** SAPOR oleoſo-acriuſculus.

VIRTUS vulneraria, diſcutiens.

USUS in coecitate, *** hæmorrhoidibus, cancro **** in ulcere verminoſo.

---

* *Cel.* LANGE *med. Brunſv. dom.* p. 130.

** Corium bubulum Ruſſicum (*Juchten*) ab hoc oleo peruncto odorem habet.

*** Hoc oleo oculo illito cæcitas curata. REUSNER in *obſ. med.* n. 42.

**** *Cel.* PURMANN 2. p. 477.

SPIRITUOSA.

Quæ principium inflammabile, fragrans, cum aqua miſcibile, fermentatione ſpirituoſa natum, continent.

SPIRITUS VINI.

Eſt ſpiritus inflammabilis deſtillationis ope e vino obtentus. *Weingeiſt. Brandwein.*

Odor fragrans; Sapor fragrans, irritans, calefaciens.

Virtus roborans, adſtringens, irritans, putredini reſiſtens.

Usus in articulationum aliarumve partium laxitate ut herniis, uvula prolapſa, tumoribus oedematoſis, in ulceribus vel vulneribus pure nimio manantibus, in calli oſſei mollitie.

Spiritus vini camphoratus in gangræna humida, in panaritio fungoſo, in lupia, in ambuſtione levi. *

Spiritus vini aqua dilutus in inflammationibus chronicis ab atonia vaſorum ortis, ut angina & ophthalmia chronica.

* *Cel.* Sydenham dicit, ſpiritum vini impedire, ne cutis ambuſta ſe elevet in veſicam, at vidi in tali ambuſtione a ſpiritu vini ingentem fuiſſe excitatam inflammationem.

Aqua vulneraria ex vino cum herbis balſamicis deſtillata in vulneribus fungoſis multum ſuppurantibus.

Vapor ſpiritus vini accenſi ſudorem movet & oedemata diſcutit. *

Nocet ſpiritus vini in inflammationibus acutis non chronicis, in ambuſtionibus ſiccis, in vulneribus ſclopetariis, in quibus inflammationem augendo & ſuppurationem impediendo partes inferiores gangræneſcere facit. Vulnus cerebri non conſolidat. Nec lymphæ fluxum ex vaſe lymphatico læſo compeſcit; Oſſi ſano diu applicatum inducit decolorationem. **

ALCOHOL VINI.

Eſt ſpiritus vini reiterata deſtillatione ab omni aqua liberatus, *rectificirter Weingeiſt. Spiritus vini rectificatiſſimus.*

Hujus *criterium* eſt, quod ſalem alcalinum non amplius ſolvat & ſuper pulvere pyrio vel goſsypio deflagrans utrumque accendat.

Odor valde fragrans; Sapor ardentiſſimus, ſtypticus.

Virtus ſtpytica, vaſa diſciſſa arctans, contrahens, ſanguinem & ſerum coagulans.

---

* *Cel.* Heisteri *inſt. ch.* p. 350.

** *Ill.* Richter *Anfangsgr. der Wundärzneykunſt.* 1. *Band.* 545. *S.*

Usus in hæmorrhagia a vasis læsis mediocris magnitudinis.

VINUM ALBUM.

Succus uvarum albarum *Vitis viniferæ L.* fermentationem spirituosam passus. *Weisser Wein*

Odor & Sapor spirituosus, gratus, specificus *vinosus* dictus.

Virtus resolvens; aliquantum roborans.

Usus ad fomenta resolventia in inflammatione a contusione, fractura, luxatione, distorsione, vulnere. In ophthalmia ab atonia vasorum. Fotus vel balnei instar subvenit infantibus ex partu difficili asphycticis.

VINUM RUBRUM.

Est vinum *rubri coloris. Rother Wein. Rubedo* a pigmento pelliculartum cum musto fermentantium est.

Odor vinosus; Sapor vinosus, subadstringens.

Virtus resolvens & plus roborans, quam vinum album.

Usus ad fomenta roborantia in prolapsu ani, vaginæ, laxitate uvulæ, articulationum.

VINACEA.

Sunt *pelliculæ* uvarum, quæ ab expresso musto tempore vindemiarum remanent. *Weintreber. Weintrester.*

ODOR vinoſus; SAPOR adſtringens.

VIRTUS roborans, adſtringens, aëre fixo, quem continent, reſolvens & valde antiſeptica.

USUS. Forma fomenti vel balnei ſicci topici adhibetur in ulceribus ſordidis crurum, in gangræna, paralyſi, tumoribus podagricis, arthriticis, rheumaticis, in contractura & aridura membrorum, in laxitate articuli a prægræſſa diſtorſione vel luxatione repoſita.

Dolendum quod efficax hoc remedium ſolo vindemiarum tempore haberi poſſit.

FOECES VINI.

Sedimentum ſemiliquidum vini primum detracti. *Weinlager, Weinhefen.*

ODOR vinoſus; SAPOR ſimilis, adſtringens. *Deſtillatio* dat ſpiritum vini. *

VIRTUS roborans, adſtringens, reſolvens, antiſeptica.

USUS. Cum anatica portione aquæ diluta foex vini eſt egregium & optimum medicamentum antiphlogiſticum & antigangrænoſum, ut millies ſum expertus, in inflammatione a contuſione, diſtorſione, vulnere, fractura, luxatione. Sine aqua in laxitate articuli, & gangræna humida profuit.

---

* Apud ſpiritus vini deſtillatores omni tempore foex vini venalis proſtat, at foex deſtillatione peracta nullam virtutem habet, hinc recens peti debet.

CEREVISIA.

Eſt liquidum ex ſemine cereali decocto, fermentationem ſpirituoſam paſſum & lupuli amarore impraegnatum. *Bier.*

Odor peculiaris; Sapor mollis, ſubamaricans, ſubſpirituoſus.

Virtus reſolvens, leniens,

Usus. Cum butyro cocta poſt partum in contuſione partium genitalium adhibetur.



ADSTRINGENTIA.

TORMENTILLA.

Tormentilla erecta L. Tormentillwurz.

Odor radicis nullus; Sapor ſtipticus.

Virtus adſtringens.

Usus ad cataplaſmata adſtringentia, quae in morbis ab atonia ortis adhibentur, ut herniis, prolapſibus, uvula prolongata, laxitate articuli, ſcorbuto gingivarum.

BISTORTA.

Polygonum Biſtorta L. Natterwurz.

Odor radicis nullus, ſaltem radicis ſiccatae; Sapor ſtipticus.

Virtus adſtringens.

Usus ad collutorium in vacillatione dentium.

PENTAPHYLLUM.

Potentilla reptans. L. Fünffingerkraut.

Odor radicis debilis; Sapor ſtipticus.

Virtus adſtringens.

Usus ad fomenta adſtringentia.

ALCHIMILLA.

Alchemilla vulgaris L. Frauenmantel. Löwenfuſs.

Odor radicis ingratus ceu cati urina; Sapor ſtipticus.
Virtus adſtringens, vulneraria.

Usus ad decocta roborantia & vulneraria pro ulceribus.

ALKANNA VERA.

Lawsonia inermis L. Alkanne, roth ägyptiſches farbeholz.

Odor nullus; Sapor adſtringens.

Virtus adſtringens, rubro tinctoria.

Usus. Paſta ex pulvere foliorum aqua macerata gentes orientales ungues, manus, capillos aliasque corporis partes item equorum jubam tingunt. Pulvis ad ſudores pedum foetidos tollendos & ulcera oris, gingivarum ſiccanda ab aliquibus

adhibetur. Unguenta grata rubedine hac radice imbuuntur.

PRUNELLA.

PRUNELLA vulgaris L. Prunellenkraut.

ODOR herbæ nullus; SAPOR ſubamaricans, leniter auſterus.

VIRTUS leniter adſtringens.

USUS. Pro gargariſmate & collutorio ſubadſtringente cum melle miſcetur in angina & ulceribus oris.

AJUGA PYRAMIDALIS.

AJUGA pyramidalis L. Güldengünſel.

ODOR debilis; SAPOR ſubadſtringens cum levi amaritie.

VIRTUS ſubadſtringens.

USUS. Decoctum pro gargariſmate in angina laudatur. *

EUPHRASIA.

EUPHRASIA officinalis. L. Augentroſt.

ODOR herbæ debilis; SAPOR amaricans.

VIRTUS leniter adſtringens.

---

* *Cel.* MALLUIN in *Mémoires de l'Acad. diſc. Paris* 1754. p. 512.

USUS

Usus. Succus cum vino & melle oculis inſtillatus nubem, pannum corneæ & incipientem cataractam tollere dicitur. *

EQUISETUM.

Equisetum hyemale L. Kazenwedel.

Odor herbæ nullus; Sapor debilis.

Virtus leniter adſtringens.

Usus ad gargariſmata ſubadſtringentia.

ANSERINA.

Potentilla Anſerina L. Gänſerich.

Odor herbæ debilis; Sapor leniter adſtringens.

Virtus vulneraria, adſtringens.

Usus. Facta operatione empyematis injiciatur decoctum, melle edulcoratum.

PLANTAGO.

Plantago lanceolata L. Spitzwegerich.

Odor herbæ nullus; Sapor ſubadſtringens.

Virtus vulneraria, ſubadſtringens.

Usus. Folia ulceribus, fonticulis, exutorio imponuntur, ne ulcera exſiccentur. Decoctum in an-

* Francus *de Euphraſia herba, verum oculorum ſolamen.* 1717.

gina & prolapſu ani laudatur. Utinam verum eſſet, quod in cancro mammarum proſit. * Alii plantaginem latifoliam adhibent.

VINCA PERVINCA.

Vinca minor L. Sinngrün.

Odor herbæ nullus, Sapor ſubadſtringens.

Virtus adſtringens.

Usus. Decoctum addito melle roſaceo in angina laudatur. **

PERFOLIATA.

Bupleurum rotundifolium. L. Durchwachs.

Odor herbæ nullus; Sapor ſabauſterus.

Virtus adſtringens.

Usus. Semen & herba quondam forma cataplaſmatis herniis imponebatur.

VITIS VINIFERA.

Vitis vinifera L. Weinſtoklaub.

Odor foliorum nullus; Sapor ſubacidus, ſubadſtringens.

Virtus ſubadſtringens.

Usus pro gargariſmate in angina.

---

* Borellus *Hiſt. & Obſ. Cent.* 2. n. 51.

** *Cel.* Tissot *Avis* p. 152. *Form.* n. 19.

TERRA JAPONICA.

Eſt ſuccus gummoſo - reſinoſus ex *MIMOSA Cate L.* excoctus & inſpiſſatus. *Japoniſche Erde. Cathekuſaft. Terra Catechu.*

ODOR nullus; SAPOR ſubſtipticus, dein amaricans, poſtea ſubdulceſcens. INDOLES. Solvitur in aqua, vino, acidis, at non in oleis.

VIRTUS adſtringens, antiſeptica. *

USUS in ulceribus ſcorbuticis, putridis, gangrænoſis. In putredine oris, foetore, dentium vacillatione & denudatione, atque in cruentatione gingivarum. **

ROSA RUBRA.

Petala *ROSÆ gallicæ L. Rothe Roſen.*

ODOR florum gratus, roſaceus, debilis; SAPOR ſubſtipticus, amaricans.

VIRTUS adſtringens.

USUS ad gargariſmata & fomenta roborantia. Mel *roſatum* abſtergit & ſubadſtringit, hinc ulceribus præſertim oris utile.

---

* *Cel.* PRINGEL. *Diſ. of. the Arm. App. Exp.* 10.

** Optime datur ſub forma *Tincturæ* vel *linimenti gingivalis* Vide *Pharma. w.* p. 226. & *Ill.* BALDINGER in *Pharmacopoea Edinburgenſi* p. 291.

PRIMULA VERIS.

PRIMULA veris officinalis L. Schlüſſelblumen.

ODOR radicis aniſatus; SAPOR adſtringens.

VIRTUS roborans; errhina.

USUS. Pulvis naribus attractus ſternutationem excitat. Acetum vero radice impraegnatum naribusque exceptum odontalgiam ſedare dicitur. *

BALAUSTIA.

Flores *PUNICÆ Granati L. Granatbaumblüte.*

ODOR florum vix ullus; SAPOR ſtipticus.

VIRTUS adſtringens.

USUS in laxitate uvulæ, prolapſu ani.

GRANATUM.

PUNICA Granatum L. Granatbaumrinde.

ODOR corticis vix ullus; SAPOR intenſe ſtipticus.

VIRTUS valide adſtringens.

USUS in atonia, prolapſu, hernia.

CAPRIFOLIUM.

LONICERA Periclymenum L. Geiſsblatt.

ODOR foliorum nullus; SAPOR adſtringens.

VIRTUS ſubadſtringens, detergens.

---

* *Cel.* BOERH. *pl. hort. L. B.* p. 281.

Usus. In ulceribus ſordidis, impetigine, maculis cutaneis folia contuſa applicantur. * Decoctum pro gargariſmate in angina deprædicatur. **

QUERCUS.

Quercus Robur L. Eichenrinde.

Odor corticis vix ullus; Sapor acerbus, ſtipticus.

Virtus peradſtringens, coriaria.

Usus in hernia, ulceribus oedematoſis, & gangrænoſis.

Forma. *Folia* querci in gargariſmate addito vini ſpiritu & melle contra anginam obſtinatam proficua fuerunt. *** *Succus* quem, quercus fundit in podagra utilis. **** Sacculus cum pulvere corticis quercini aliquantum impletus & in vino rubro calido aliquantum maceratus loco hernioſo imponitur ac bracherio firmatur. Omni die ſemel hæc applicatio renovatur. Sic infans intra 14 dies & adultus intra menſem ab hernia radicaliter curari dicitur. *****

SUBER.

Quercus Suber L. Korkbaumrinde - Pantoffelholz.

* Chomel. *pl. uſulles. T.* 2. *p.* 387.

** Gardanne *Gazette de ſanté* 1774. p. 230.

*** *Cel.* Darel *Ap.* p. 45.

**** *Eph. N. C. D.* 2. *A.* 5. *Obſ.* 91. p. 197.

***** *Cel.* Desessart hoc remedium Academiæ regiæ Pariſinæ nuper communicavit. v. *Séance publique de l'academie royale de Chirurgie à Paris* 1775. p. 16. gr. 4.

Odor corticis nullus; Sapor adſtringens.

Virtus roborans.

Usus. Pulvis combuſti ſuberis cum oleo in unguentum redactum hæmorrhoidum dolores ſiſtit & diſſipat. *

S A L I X.

Salix *alba* vel *fragilis L. Weiſſe Weide.*

Odor corticis debilis; Sapor adſtringens, amaricans, balſamicus.

Virtus adſtringens, roborans, antiputredinoſa. **

Usus in gangræna a decubitu *** in ulceribus gangrænoſis & inveteratis crurum, **** in odontalgia, ***** balneum in debilitate crurum apud infantes. ******

---

* *Cel.* Chomel. *pl. uſuelles T.* 2. p. 332. dicit ſe hoc pluries expertum eſſe.

** Gunz *diſs. binæ de cort. ſalicis.* Lipſ. 1772. In decocto ſaturato corticis e ſalice fragili carnis fruſtum per quatuor ad quinque hebdomades a putredine immune manſit.

*** *Cel.* Stoll. *Rad. med.* Pars III p. 430.

**** Ego in meo noſocomio non ſolum in gangræna a decubitu ſed etiam in gangrænoſo ulcere cruris & in ulcere arthritico bonum vidi effectum.

***** Expertiſſimus chirurgus Zagel ſibi odontalgiam carioſam decocto ex libra vini albi & manipulis duobus corticis parati ſiſtebat.

****** *Ill. ab* Haller *Hiſtor. ſtirp.* n. 1635.

GALLÆ TURGICÆ.

Tophi e foliis diversarum *QUERCUUM* defosso sub cuticula ovulo *CYNIPIS Quercus L.* orti *Gall - Aepfel.*.

ODOR nullus; SAPOR acerbissimus, valde stipticus.

VIRTUS peradstringens, Coriaria.

USUS in hernia.

PYROLA.

PYROLA rotundifolia L. Wintergrün.

ODOR nullus; SAPOR substipticus, subamaricans.

VIRTUS adstringens, detergens.

USUS. Hæc folia hyeme virentia ad fonticulos loco emplastri applicantur.

UVULARIA.

RUSCUS Hypoglossum L. Zopfenkraut.

ODOR herbæ nullus; SAPOR adstringens.

VIRTUS adstringens.

USUS. Contra uvulæ prolapsum quondam adhibebatur. Hodie non amplius, quum meliora in hoc morbo remedia innotuerint.

GERANIUM ROBERTIANUM.

GERANIUM robertianum L. Storhschnabel,

ODOR foetidus; SAPOR subadstringens.

VIRTUS adſtringens, lactifuga, vulneraria.

USUS in ulceribus vulvæ, mammarumque, in cancro * in rhagadibus.

NUX JUGLANS.

JUGLANS regia L. Wallnuſsbaum.

ODOR levis; SAPOR auſterus.

VIRTUS roborans.

USUS. *Rob nucum* ex ſucco nucum viridium expreſſo & melle confectum inſignem vim in angina & tonſillarum tumore forma gargariſmatis exhibet. In aphthis aliisque oris exulcerationibus ob vim detergentem penicillo illinitur.

Folia recentia tumoribus oedematoſis applicata diſcutiunt. **

ALNUS.

BETULA Alnus L. Erlenbaumblätter.

ODOR foliorum nullus; SAPOR adſtringens, amaricans.

VIRTUS diſcutiens, lactifuga, vulneraria.

USUS ad lac puerperarum lactationem reſpuentium diſſipandum.

FORMA. *Folia* conciſa ſuper igne in diſco incaleſcant, nec ſudare incipiant, dein calide applicentur.

---

* *Ill.* LINNÆI *mat. med.* p. 189.

** *Ill.* CRANZ *mat. med.* T. 1. p. 46.

Primis diebus cerefolium addi poteſt. * Ulcera corroſiva iisdem foliis ſanari feruntur. * *

FUNGUS MELITENSIS.

Cynomorium coccineum *L.* *Melitenſer Schwamm.* Non eſt fungus ſed vera planta paraſitica.

Odor nullus ; Sapor ſtipticus, amaricans. Succum vehit rubicundum.

Virtus roborans, adſtringens.

Usus. Ad gingivas corroborandas pulveribus dentifriciis additur. Externe in ulceribus cacoëthicis prodeſt.

AMARA.

Quæ principio valde amaro gaudent.

ABSYNTHIUM VULGARE.

Artemisia *Abſynthium* *L.* *Wermuth.*

Odor herbæ fortis, fragrans, temulentans; Sapor intenſe amarus.

---

* *Ill.* Muray *app. medic.* Vol. 1. p. 72. expertus loquor, dicit, hoc ſimplex remedium præſtantiſſimum, ac omnibus emplaſtris, pultibus & ſpiritibus longe præferendum eſſe.

* * *Cel.* Kramer *med. mil.* p. 21.

Virtus resolvens, tonica, anthelminthica, antiseptica.

Usus ad fomenta discutientia. *Farina* sicca herbæ ad hydrocelen, oedemata; fomentum ad gangrænam laudatur. *

MARRUBIUM ALBUM.

Marrubium vulgare L. Weisser Andorn.

Odor herbæ fragrans, gratus; Sapor amarus, inhærens.

Virtus resolvens.

Usus ad fomenta resolventia.

EUPATORIUM.

Eupatorium cannabinum L. Wasserdosten. Kunigundiskraut.

Odor herbæ fortis; Sapor valde amarus.

Virtus resolvens, roborans.

Usus. Cataplasma ex coctis foliis tumorem aquosum scroti dissipavit. **

---

* *Cel.* Bartholini in Eph. *N. C.* D. 1. anni 2. *Obs.* 2. p. 2.

** Chomel *Hist. de plantes T.* 1. p. 319. & aliam historiam scroti a variolis prægressis in puero tumidi foliis eupatorii applicatis curati recenset *Cel.* Scopoli *in Flor. carn.* p. 368.

RUTA.

RUTA graveolens L. *Gartenraute*, *Weinraute*.

ODOR herbæ fortis, non ingratus; SAPOR amarus, acris.

VIRTUS herbæ *recentis* rubefaciens, herbæ *ſiccatæ* antiſeptica, reſolvens.

USUS in gangræna, decoctum vinoſum in odontalgia rheumatico-carioſa, in aurifluxu foetido, purulento, decoctum lacteum in parulide cum intumeſcentia faciei forma collutorii multis, ut vidi, profuit.

TRIFOLIUM FIBRINUM.

MENYANTHES trifoliata L. *Bitterklee*, *Fieberklee*.

ODOR herbæ nullus; SAPOR amariſſimus.

VIRTUS abſtergens, tonica, antiſeptica.

USUS. *Lavacrum* contra tineam, ſerpiginem, impetiginem, achores, pediculos capitis & ſcabiem laudatur. *Succus* fiſtulas & ulcera antiqua ſanat. * Ulcera ſcorbutica decocto lota & foliis recentibus vel aqua maceratis tecta ſanantur. **

---

* FRANCO *Trifolii fibrini hiſtoria obſervationibus illuſtrata. Francof.* 1701. ſub uſu ſucci locus affectus ſæpe inflammatur, ſed brevi ceſſare hoc ſymptoma dicit Auctor.

** *Cel.* WILLIS *Act. Hafn.* Vol. 3. n. 75.

TANACETUM.

TANACETUM vulgare L. Reinfarn.

ODOR herbæ gravis; SAPOR amarus, aromaticus.

VIRTUS resolvens, roborans, abstergens.

USUS pro fomentis resolventibus & abstergentibus.

CENTAURIUM MINUS.

GENTIANA Centaurium L. Tausendgüldenkraut.

ODOR herbæ vix ullus; SAPOR amarissimus.

VIRTUS abstergens.

USUS in morbis cutaneis, ulceribus sordidis, fistulosis * vulneribus verminosis: contra furfures & crustosam scabiem capitis impense extollitur brodium ex pisis cum hac herba coctum pro lotione, qua simul pediculi necantur.

CHAMÆDRYS.

TEUCRIUM Chamædrys L. Gamanderlein.

ODOR subfragrans; SAPOR amarus.

VIRTUS abstergens, roborans.

USUS in ulceribus sordidis abstergendis, in tumoribus aquosis resolvendis.

---

* *Cel.* WEDEL *diss. de cent. min.* p. 29. Ulcus fistulosum pro incurabili relictum cataplasmate ex centaurio sanabatur.

CHAMÆPITYS.

TEUCRIUM Chamæpitys L. Schlagkraut.

ODOR fragrans aliquantum; SAPOR amarus, aromaticus, in rosmarinum incidens.

VIRTUS roborans, abstergens.

USUS. Ad abstergenda & consolidanda ulcera in pretio quondam habebatur.

CARDUUS BENEDICTUS.

CENTAUREA benedicta L. Cardobendikten.

ODOR herbæ ingratus; SAPOR intense amarus.

VIRTUS abstergens, antiulcerosa.

USUS. Pulvis foliorum ulceribus cacoethicis * & cancrosis ** inspergitur· Decoctum in pernionibus.***

GRATIOLA.

GRATIOLA officinalis L. Wild Aurin. Gottesgnadenkraut.

ODOR nullus, SAPOR intense amarus.

VIRTUS resolvens.

---

* AR. DE VILLA NOVA *pract.* c. 44.

** *Cel.* BAUCHINI *Histor.* T. 3. p. 79. Mulier cujus mammæ ad costas usque consumptæ erant, aqua destillata & insperso foliorum pulvere a cancro sanata dicitur.

*** *Cel.* FRIEND in *Lond. Chron.* 1767. p. 536.

Usus. Herba conquassata in arthritide & rheumatismo, nec non in tumoribus a lacte coagulato, & in ecchymosi a sanguine coagulato præstans est remedium. *

HEDERA ARBOREA.

Hedera Helix L. Epheu.

Odor nullus; Sapor amarus austerus, nauseosus.

Virtus vulneraria detergens. Folia sempervirentia, omni anni tempore recentia haberi possunt, ideo.

Usus ad ulcera fonticulorum & exutoriorum tegenda, ut suppuratio promoveatur. Limes exulcerationis definitur magnitudine & figura folii, quam forfice adaptes. ** Folia vino cocta ulcera & vulnera depurant. Aqua cocta & variolis applicata suppurationem illarum promovent. *** Cataplasma lac dispellere dicitur. **** Quidam globulum ex ligno tornatum loco pisi fonticulis immittunt pro suppuratione alenda. *****

---

* *Ill.* Murray *Ap. med.* T. 2. p. 201.

** *Ill.* Murray *Ap. m. p.* T. 1. p. 308.

*** Roux *Journal de Medecine* T. 40. p. 514.

**** *Ill.* Halleri Hist. st. n. 826.

***** Hildanus *Cent.* 1. *Obs.* 41.

GENTIANA RUBRA.

Gentiana Lutea L. Rothe Entzianwurz.

Odor debilis; Sapor amarissimus.

Virtus roborans, antiseptica.

Usus in ulceribus malignis & gangrænosis; an in morsu viperæ italicæ ?* Spongiosa natura radicem hanc fonticulis & fistulis dilatandis idoneam facit, absorpto enim liquido intumescit.

BILIS MUSTELLÆ FLUVIATILIS s. LACUSTRIS.

Gadus Lota L. Aalrutten-galle.

Odor nullus; Sapor oleoso-amarus.

Virtus abstergens, vi soponacea solvens.

Usus in leucomate, pterygio, perlis & aliis corneæ maculis. **

Forma. Excipitur ex animali hepar, suspenditur in vitro, calori solis exponitur, sic pinguedo biliosa exstillat guttatim & colligitur. Hujus bis vel ter de die guttula una alterave oculo instillatur. Quando ægroti levamen exinde dolorum

---

* Cum gentiana interne data morsum viperæ italicæ reddat inertem, hinc quid hæc radix vulneri externe applicata præstet, tentandum est.

** *Cel. de Haen Rat. med. Viennæ* 1764. *T.* ix. p. 244. & *T.* x. p. 283.

ſentiunt, tunc oculum aqua roſarum eluere expedit.

FEL TAURI.

Eſt liquor amarus veſiculæ felleæ *Bovis Tauri L. Ochſengall.*

Odor nullus; Sapor amarus.

Virtus abſtergens, reſolvens, coſmetica. *

Usus in ulceribus malignis, in ſcabioſis cutis vitiis, ut herpete, impetigine, lenticulis faciei, in comedonibus infantum, in maculis hepaticis, in morbis aurium, ut ſurditate, ſibilo, in auribus purulentis, in aridua membri, in paralyſi, in tumoribus cysticis, in ganglio in ſcrophulis, in tumoribus frigidis mammarum. **

FEL LUCII PISCIS.

Eſt liquor amarus e veſicula fellea piſcis *Esox Lucius L.* dicti *Hechtgall.*

Odor nullus; Sapor amarus.

---

* *Cel.* Geoffroi in *Memoir. de l'acad. des ſcienc.* adverſus lenticulas ſeu lentigines coſmeticum deſcripſit, conſtans ex felle tauri, oleo tartari per deliquium & aqua communi. Hartmanus p. 794. ex bile coſmeticum parat, de quo dicit: ad miraculum uſque albedinem gratiſſimam conciliat.


** De his omnibus vide *Cel.* Schultze *diſs. de bile medicina.* Goettingæ 1775. p. 50.

Virtus

Virtus abſtergens, reſolvens.

Usus in maculis * & ulceribus corneæ, in cæcitate veſpertina, in dilatatione pupillæ, in ſuffuſione, in amblyopia.

Forma. ℞. Mellis deſpumati ℥ij, fel lucii piſcis ℥j. Sal. vol. corn. cerv. gr. vj. m. f. linimentum, penicillo tenuiſſimo illinendum.



AMARICANTIA.

Quæ principio amaricanti gaudent.

ALLIARIA.

Erysimum Alliaria L. Knoblauchkraut.

Odor herbæ alliaceus; Sapor cepaceus, leniter amaricans.

Virtus antiſcorbutica.

Usus. In gangræna, ulceribus ſcorbuticis, ac cancreſcentibus ſuccus laudatur. **

---

* *Cel.* Mauchart *diſs. de leucomate* Tobiæ. *Tubingæ* 1743. At *Ill.* Richter abſque omni fructu ſe bilem in maculis corneæ expertum eſſe contendit. Vide *Cel.* Schultze *diſſertationem citatam* p. 47.

** Bergius l. c. p. 565.

SCORDIUM.

Teucrium Scordium L. Lachenknoblauch.

Odor herbæ alliato-cepaceus, gravis; Sapor amaricans, odori congruens.

Virtus resolvens, antiputredinosa.

Usus. In gangræna cum vino cocta cataplasmatis forma applicatur. Ulceribus sordidis pulveris forma inspergitur. *

ONOPORDUM.

Onopordum Acanthium L. weisse Wegdiestel seu *Krebsdiestel.*

Odor herbæ nullus; Sapor amaricans.

Virtus anticancrosa.

Usus. Succus recens in cancro faciei laudatur; ego hunc succum in hoc morbo frustra adhibui. **

MILLEFOLIUM.

Achillea Millefolium L. Edle Schaafgarbe.

---

* *Cel.* Welsch *Syll. curat.* p. 72. solo pulvere inspersо ulcera curata dicuntur.

** Interim *Illustris* Murray *Ap. med. Vol.* I. p. 87. plures recensent authores, qui hunc succum in cancro faciei efficacem deprehenderunt. In cancro autem mammæ utpote maligniori nihil profuit.

Odor herbæ debilis; Sapor amaricans.

Virtus tonica, detergens.

Usus ad ſananda ulcera & vulnera.

ABROTANUM.

Arthemisia Abrotanum L. Stabwurz.

Odor herbæ fragrans, gratus, ſubtemulentans; Sapor amaricans, aromaticus, calidiuſculus.

Virtus reſolvens, antiſeptica.

Usus. In gangræna inſtar fomenti applicatur.

MATRICARIA.

Matricaria Parthenium L. Mutterkraut.

Odor herbæ fragrans, validus; Sapor amaricans, aromaticus, calidiuſculus.

Virtus reſolvens, tonica.

Usus ad fomenta reſolventia & detergentia.

HEDERA TERRESTRIS.

Glecoma hederacea L. Gundelreben.

Odor herbæ debilis, fragrans; Sapor leniter amaricans, ſubaromaticus.

Virtus vulneraria, tonica.

Usus. Ad fomenta & aquas vulnerarias.

ANAGALLIS.

Anagallis arvenſis L. Gauchheil.

Odor herbæ nullus; Sapor amarus, ſubacris.

Virtus ſolvens, detergens

K 2

USUS. Pulvis ulceribus ſordidis & vulneri a cane rabido inflicto inſpergitur. *Succus* cum melle in ulcuſculis, hebetudine & incipiente cataracta laudatur. *

L U P U L U S.

HUMULUS Lupulus L. Hopfen.

ODOR florum ſeu conorum, qui ſunt calices florum fœmineorum defloratorum, fragrans, ſubnarcoticus, gravis. SAPOR peramarus.

VIRTUS tonica, reſolvens.

USUS. Flores cum cereviſia vel vinò diluto cocti fomentum pro locis contuſis, fractis, & luxatis, nec non ad diſſipandos tumores frigidos adhibentur.

ARISTOLOCHIA LONGA.

ARISTOLOCHIA longa L. Lange Oſterluzey.

ODOR radicis ſubnauſeoſus; SAPOR amaricans, odori congruens.

VIRTUS abſtergens, vulneraria.

USUS. In ulceribus crurum & inteſtini recti pulvis vel decoctum ſaturatum applicatur. Quum ſpongioſa radix ſit, ad fonticulos dilatandos confert. **

---

* BAUCH. *Hiſt. pl.* T. 3. P. 2. p. 370. Femina Lutetiæ multis in ſuffuſione ope aquæ deſtillatæ auxilium præſtitiſſe memoratur. *Cel.* GMELIN *Reiſe durch Ruſzland.* T. 3. p. 3. Perſarum mos eſt contra incipientem cataractam equorum oculo goſsypium ſucco anagallidis madefactum applicare.

** ALSTON *M. m. Vol.* 1. p. 395.

ARISTOLOCHIA ROTUNDA.

ARISTOLOCHIA rotunda L. Gemeine runde Osterluzey.

ODOR gravis; SAPOR amarus, ſubaromaticus.

VIRTUS detergens, vulneraria.

USUS. In fiſtulis, & ulceribus cacoethicis laudatur ſuccus.

XANTHIUM.

XANTHIUM ſtrumarium L. Bettlerlauſe. Spitzkletten.

ODOR foliorum nullus; SAPOR amaricans.

VIRTUS diſcutiens.

USUS. Folia in tumoribus ſcrophuloſis & oedematoſis impoſita laudantur.

CORTEX PERUVIANUS.

CINCHONA Officinalis L. Fieberrinde. China.

ODOR mucidus; SAPOR amarus, adſtringens.

VIRTUS antiſeptica, roborans.

USUS. Saturatum corticis peruviani decoctum eſt egregium fomentum in gangræna & ulceribus, etiam in his malis forma pulveris aut pulmenti applicari poteſt. Forma collyrii in ophthalmia a laxitate vaſorum. * In vacillatione dentium cum

* *Ill.* MURRAY *Ap. m. T.* 1. p. 582.

gingivarum consumptione prodest dentes pulvere corticis ope scopulæ mollis perfricare. *

Fomentum ex ℔j saturati corticis decocti, aquæ Thedianæ ℥iv. camphoræ ʒj salis ammoniaci ʒj. & extracti saturni ℥j pulchrum mihi præstistit effectum in pluribus ægrotis erysipelate gangrænoso affectis, in paronychia maligna, in ulceribus e veruca irritata natis & cancrescentibus.

CORTEX PINI.

PINUS sylvestris L. Kiefer, Kieferrinde.

ODOR corticis debilis; SAPOR dulcescenti-resinosus, subamaricans.

VIRTUS roborans, antiseptica.

USUS. In prolapsu intestini recti ** vel vaginæ pulveratus & cribratus cortex inspergitur. Idem pulvis in profundis ambustionibus laudatur. ***

BACCÆ ALKEKENGI.

PHYSALIS Alkekengi L. Judenkirschen.

ODOR baccarum nullus; SAPOR acidulus, tum amaricans.

VIRTUS. Fumus dentium dolorem sedat.

---

* *Hannov. Magazin.* 1773. 1200.

** *Ill.* ROSENSTEIN l. c. p. 24.

*** *Cel* WICKELGREN *in Provinc. Doct. berätt.* 1761. p. 78.

Usus. Baccæ cum cera in globulum ſubactæ & ferro ignito impoſitæ, fumum ſpargunt, qui ore exceptus odontalgiam curat. *

GEMMÆ POPULI.

Populus nigra vel *alba L. Päppel, Pappelweide. Oculi populi.*

Odor debilis; Sapor amaricans, balſamicus.

Virtus vulneraria & emolliens.

Usus. *Oleum* in rhagadibus & læſione partium tendinoſarum aut exulceratarum, *Unguentum populeum* ad hæmorrhoides dolentes laudatur. **

MYRTUS BRABANTICA.

Myrica Gale L. Brabantiſche Myrthe.

Odor foliorum gravis, camphoraceus; Sapor amarus.

Virtus antiſcabioſa & antiphthyriaca.

Usus. Cocta herba ſcabiem ſanat & pediculos necat.*** Veſtimenta foliis a vermibus tuemur. ****

---

* Germina ſeminum fumo elevata & aqua excepta formam vermiculorum referunt, qui e dentibus elapſi quondam credebantur. V. *Cel.* Schæffer *Abh. von Inſecten 2. B.* 203. *Die eingebildeten Würmer in Zähnen.*

** *Cel.* Schmidel *diſs. de Oreoſelino* p. 7.

*** *Ill.* Linne *Flor. ſuec.* p. 356.

**** *Cel.* Dalechamp *Herb. lugd.* L. 1. c. 38. p. 110.

AROMATICA.

CHAMOMILLA ROMANA.

ANTHEMIS nobilis L. Römische Camille.

ODOR florum fragrans, balsamicus; SAPOR aromatico-amaricans, calidiusculus.

VIRTUS resolvens, antiseptica.

USUS ad cataplasmata resolventia, & antigangrænosa.

CHAMOMILLA VULGARIS.

MATRICARIA Chamomilla L. Gemeine Camille.

ODOR fragrans, gratus, fortis; SAPOR aromaticus, calidiusculus.

VIRTUS resolvens, antiseptica.

USUS ad fomenta resolventia.

CALENDULA.

CALENDULA officinalis. L. Ringelblume

ODOR florum bituminosus, ingratus; SAPOR amaricans, aromaticus.

VIRTUS resolvens.

USUS florum in fomentis discutientibus. *Folia* verrucis, callis pedum & ulcerum applicantur *

* TOURNEF. *pl. de Paris* T. 1. p. 311. & HECQUET *pharm. paup.* p. 89.

MELILOTUS.

Trifolium Melilotus officinalis. L. Melilote. Steinklee.

Odor florum ſiccatæ plantæ longe fragrantior, quam recentis ; Sapor ſubamarus, herbaceus.

Virtus reſolvens, diſcutiens, de vi emolliente & anodyna dubitatur.

Usus ad fomenta vel cataplaſmata diſcutientia. *Emplaſtrum de meliloto* ad diſcutiendos tumores duros colli laudatur, etſi ut plurimum ſine effectu tentetur.

SAMBUCUS.

Sambucus nigra L. Hollunder. Flieder.

Odor florum fragrans, ſubnauſeoſus, foetidiuſculus ; Sapor amaricans.

Virtus reſolvens.

Usus. Siccati flores eryſipellati, oedemati, tumori rheumatico applicantur vel ſoli vel cum chamomilla & farina quadam cereali.

ARNICA.

Arnica montana L. Wolverley. Fallkraut.

Odor florum graveolens, ſternutationem movens ; Sapor acris.

Virtus reſolvens.

Usus ad fomenta resolventia pro locis contusis, sugillatis, fractisque.

FLORES CHEIRI.

Cheiranthus Cheiri L. Gelbe Viole.

Odor florum suaveolens; Sapor amaricans, acriusculus.

Virtus resolvens, abstergens.

Usus ad fomenta resolventia, *pulvis* ad leucomata corneæ. *

IASMINUM.

Jasminum officinale L. Jasmin.

Odor florum recentium suaveolens; Sapor subamaricans.

Virtus odorifera.

Usus. *Oleum jasmini* pulveri cyprio odoris gratia additur. Paratur, si gossypium oleo nucleorum Been madidum floribus Jasmini per alterna strata immittitur, & fragrantia probe imbutum exprimitur.

LAVENDULA.

Lavendula Spica L. Lavendel.

Odor florum gratus, aromaticus; Sapor amaricans.

Virtus roborans, nervina, resolvens.

---

* Semel bonum in hoc morbo vidi effectum, cum pulvis corneæ affricaretur.

Usus. Forma fomenti ad humores ſtagnantes diſſipandos applicatur. *Spiritus* lavendulæ ore retentus balbutiem & linguæ paralyſim levat.

LILIUM CONVALLIUM.

CONVALLARIA majalis L. Mayblume.

Odor floris ſuaviſſimus. Sapor recentis intenſius amarus, acriuſculus, floris ſicci minus amarus.

Virtus ſternutatoria.

Usus pro pulvere ſternutatorio.

HYSSOPUS.

HYSSOPUS officinalis L. Yſop.

Odor herbæ fragrans; Sapor amaro-calidus.

Virtus reſolvens, irritans, roborans.

Usus. In angina pituitoſa gargariſma prodeſt. Stagnantem e contuſione ſanguinem diſcutit.*

ORIGANUM.

ORIGANUM vulgare L. Wolgemut, brauner Doſten.

Odor herbæ aromaticus, ad majoranam accedens; Sapor acris, aromaticus.

Virtus diſcutiens.

---

* *Ill.* Rosenstein *Reſeapot.* p. 40. hyſſopum in vino rubro coctum in ophthalmia poſt applicationem hyrudinum ſugillatum applicare jubet.

Usus pro epithematibus diſcutientibus. *Oleum deſtillatum* goſſypio exceptum & denti carioſo inditum, ejus dolorem ſedat. Cariem oſſium in ulceribus carioſis optime coercere dicitur. *

MENTHA.

MENTHA criſpa L. Krauſemünzen.

Odor herbæ fragrans, fortis, ſpirituoſus; Sapor calidus, aromaticus. In herba ſiccata odor & ſapor fere intenſior.

Virtus reſolvens, lactifuga **

Usus. Ad fomenta ecchymoſim, aut tumores lacteos mammarum reſolventia adhibetur. *** Lactis afſluxum ad mammas minuit & jam collectum lac diſpellit. Ita nutrices poſt ablactationem infantum mentha adhibita ejusque oleo axillis inuncto lac aliorſum deducunt. Tentandum quid in tumore lacteo extremitatum præſtet.

---

* *Cel.* Lange *Brunsv. dom.* p. 249.

** Linn. *Fl. ſuec. n.* 516. Ruſtici, dum pecora in agros, in quibus mentha arvenſis luxuriat, admittunt, experiuntur lac deficere, quam jacturam faſcino credulum vulgus tribuit.

*** Lac in quo folia menthæ fuere macerata, longe lentius coagulatur, quam abſque ejusmodi connubio. *Cel.* Lewis *M. m.* p: 378:

MELISSA.

Melissa officinalis L. Melisse.

Odor herbæ fragrans, fere flavedinis corticis citri; Sapor calidiusculus, citratus.

Virtus resolvens.

Usus ad fomenta discutientia.

MAJORANA.

Origanum Majorana L. Majoran.

Odor herbæ fragrans, fortis, cephalicus; Sapor aromaticus, subamaricans, calidiusculus.

Virtus resolvens, sternutatoria.

Usus ad fomenta resolventia. Recens herba induratos mammarum tumores dissipat. * *Butyrum majoranæ* in anosmia & obstructione narium a muco infantum nari alterutri illiniri solet.

ANETHUM.

Anethum graveolens L. Dill.

Odor herbæ fragrans, gratus; Sapor aromaticus.

Virtus resolvens, carminativa, hypnotica.

Usus ad fomenta discutientia. In hernia a flatu incarcerata forma enematis applicatur.

---

* Cohausen in *Comm. Nor.* a. 1742. p. 251.

BASILICUM.

Ocymum Basilicum L. *Basilien.*

Odor herbæ fragrans, gratus; Sapor aromaticus, subanisatus. *Semina* sunt mucilaginosa.

Virtus resolvens.

Usus herbæ ad fomenta resolventia. *Mucilago seminum* ad ophthalmiam, rhagades papillarum & aphthas.

ROSMARINUS.

Rosmarinus officinalis L. *Rosmarin.* Flos dicitur *Anthos.*

Odor herbæ fragrans, gratus, cephalicus; Sapor aromaticus, calidus.

Virtus, resolvens.

Usus ad fomenta resolventia & roborantia pro sugillationibus. Herba siccata dissipat oedemata, in fomento vinoso gangrænam sistit.

ROSMARINUS SYLVESTRIS.

Ledum palustre L. *Wilder Rossmarin. Mottenkraut.*

Odor herbæ fragrans, aromaticus, subnarcoticus. Sapor aromaticus, leniter amaricans.

Virtus antileprosa.

Usus. Lotio in tinea capitis, in scabie, in lepra utilis est. In angina apud incolas montium Carpathicorum gargarismatis & cataplasmatis forma prom-

ptum auxilium præſtat. Decocti lotione pediculis boves & ſues liberantur; vel ſi herba recens juxta hæc animalia in ſuras projiciatur. Veſtes contra tineas, lectos contra cimices tuetur. *

SALVIA.

SALVIA officinalis L. Salbey.

ODOR herbæ fragrans, graviuſculus; SAPOR amaricans, aromaticus, calidus.

VIRTUS reſolvens, roborans, antiputrida. **

USUS. In uvula relaxata forma collutorii, in ecchymoſi ſorma fomenti adhibetur. In aphthis, & ulceribus oris collutoria conferunt.

MARUM VERUM.

TEUCRIUM Marum L. Kazenkraut, quia a catis valde adamatur.

ODOR herbæ fragrans, cephalicus; SAPOR intenſe amarus, bituminoſo - aromaticus.

VIRTUS reſolvens, nervina, ſternutatoria.

USUS ad fomenta nervina, reſolventia & ad pulverem errhinum.

---

* *Ill.* MURRAY *ap. m.* T. 2. p. 76.

** *Cel.* ETLINGER *Comm. de ſalvia* p. 54. Cortex peruvianus foetorem carnis 55 horis, folia ſalviæ quatuor integris diebus avertebant.

THYMUS.

THYMUS vulgaris L. Gemeiner Thymian.

ODOR herbæ fragrans, fortis, cephalicus; SAPOR aromaticus, calidus.

VIRTUS resolvens, nervina.

USUS ad fomenta resolventia.

SERPILLUM.

THYMUS Serpillum L. Quendel. Feldkümel.

ODOR herbæ fragrans, cephalicus, gratus; SAPOR aromaticus, calidiusculus, subcamphoratus, subamaricans.

VIRTUS resolvens, nervina.

USUS ad fomenta resolventia. *Spiritus serpilli* ad linguæ paralysim. *Oleum destillatum* denti carioso inditum dolorem ejus sopit. *

BETONICA.

BETONICA officinalis L. Betonie.

ODOR herbæ subaromaticus, subnarcoticus, in odorem cimicis incidens; *florum* vero paullo gratior. SAPOR foliorum ingratus, calidusculus, amaricans.

* *Cel.* MILLER *Bot. offic. p.* 411.

VIRTUS

Virtus tonica, errhina *

Usus ad fomenta roborantia & diſcutientia.

CEREFOLIUM.

Scandix Cerefolium L. Körfel.

Odor, ſi herba fricetur, balſamicus; Sapor aromatico-balſamicus, foeniculaceus.

Virtus reſolvens, lactifuga.

Usus. In lacte puerperarum lactationem repudiantium diſſipando, & indurationibus lacteis mammarum herba recens conciſa, ſuper orbe calefacta pultis adinſtar nudis mammis bis vel pluries de die applicatur. Quandoque folia alni adduntur. ** Cum cicutæ connubio in tumoribus arthriticis *** cum oleo in linimentum redactum in hæmorrhoidibus, & cataplaſma ex herba in lotio retento opem fert. ****

MYRTUS.

Myrtus communis L. Myrthe.

Odor foliorum debilis; Sapor aromaticus, amaricans, ſubſtipticus.

---

* *Ill.* Bergius *m. m.* p. 526. dicit: folia betonicæ inter pulverandum admodum in naribus irritant.

** *Ill.* Murray *ap. m.* T. 1. p. 282.

*** *Cel.* Lange *med. Brunſv.* p. 256.

**** *Cel.* Chomel *pl. uſuell* T. 2. p. 185.

VIRTUS roborans, resolvens.

USUS ad fomenta roborantia.

Aqua stillatitia, quae fragrans est, sub nomine *Eau d'ange* ad lavandas manus in gallia usualis est.

LAURUS.

LAURUS nobilis L. Lorbeerbaum.

ODOR foliorum frictorum fragrans; SAPOR aromaticus, balsamicus, subamaricans.

VIRTUS resolvens, roborans.

USUS. Fomenti forma in fungoso tumore articuli laudatur *

CONTRAJERVA.

DORSTENIA Drakena L. Giftwurz.

ODOR radicis fragrans, gravis; SAPOR subamaricans.

VIRTUS roborans, resolvens.

USUS. Forma gargarismatis in angina scarlatina bonum praestitit effectum.

SERPENTARIA VIRGINIANA.

ARISTOLOCHIA Serpentaria L. Schlangenwurzel

ODOR radicis aromaticus; SAPOR amarus, pungens

---

* *Cel.* CULLENS *materia medica.* p. 405. fungos articulorum quandoque curasse, dicit.

Virtus antiſeptica, anticolubrina.

Usus. Radix maſticata & folia contuſa vulneri applicantur in morſu ſerpentis americani venenatiſſimi * Decoctum in angina gangrænoſa ex ſerpentaria, baccis ſumach & tantillo aluminis pro gargariſmate exhibetur. **

IMPERATORIA.

Imperatoria Oſtruthium L. *Meiſterwurz Oſtrutium.*

Odor aromaticus; Sapor calidus, pungens, totum os replens, tenaciter inhærens.

Virtus ſtimulans, detergens, antiparalitica.

Usus. Pulvis ulceribus inſperſus eadem repurgat. Idem cum pauxillo ſeminis aniſi miſtus in paralyſi linguæ ſpecificus cenſetur. ***

ENULÆ.

Inula Helenium L. *Aland. Helenium.*

Odor radicis ſiccatæ violaceus; Sapor initio ſubrancidus, glutinoſus, dein amarus, aromaticus.

Virtus antiſcabioſa.

---

* *Cel.* Dale *Pharm.* p. 194.

** *Med. obſ. and. Inq.* V. I. p. 219.

*** *Cel.* Decker *exercit. med. pract.* p. m. 100.

Usus. In decocto & unguento contra ſcabiem celebris eſt *

CALAMUS AROMATICUS.

Acorus Calamus Vulgaris L. Kalmus. Acorus verus.

Odor radicis fragrans, fortis, nauſeoſus; Sapor aromaticus, nauſeoſus, acris, leniter amaricans.

Virtus detergens, antiſeptica, anticarioſa.

Usus. Decoctum ſaturatum in ulceribus carioſis & ſcorbuticis laudatur. ** Spiritus calami aromatici cum melle, acido vitrioli & infuſo ſalviæ dilutus ſtomacacem ſcorbuticum curat.

PETROSELINUM.

Apium Petroſelinum L. Peterſilie.

Odor & Sapor aromaticus, calidus.

Virtus antiphthyriaca ſeu pediculos capitis necans.

Usus. Capiti pediculoſo cum butyro in unguentum redactum illinitur. *** Conquaſſata herba & mammis impoſita lac diſcutit **** Conciſa & ægri lotio leviter cocta tumores mammarum induratos

* *Cel.* Chomel *Pl. Uſuell.* T. I. p. 139.

** *Ill.* Hoffman *von Scharbock* &c. p. 269.

*** *Ill.* Rosenstein *Kinderk.* 1781. p. 754.

**** *Cel.* Chomel T. I. p. 279.

difpellit * In puncturis insectorum herba contusa dolorem brevi fiftit. **

JUNIPERUS.

Juniperus communis L. Wachholderftrauch.

Odor baccarum gratus, aromaticus; Sapor aromaticus.

Virtus refolvens, difcutiens, roborans.

Usus. Baccæ & lignum (quod etiam *Cedrinum* vocatur) carbonibus injecta suffimigium vulgatiffimum emittunt, quod panno exceptum membra oedematofa & loca laxa frictione curat. Balneo ex ligno juniperino variolas & peftem arceri atque lotione fcabiem manuum fanari fertur.

FOENICULUM.

Anethum Foeniculum L. Fenchel.

Odor herbæ ingratus; Sapor aromatico-dulcis.

Virtus difcutiens.


Usus. *Folia* lacte cocta inflammatas mammas leniunt *** *Semina* facculis excepta oculis inflammatis apponuntur.

---

* *Cel.* Lange *mifc. verit. med.* p. 26.

** *Cel.* Tissot *Avis au peuple. Lyons* p. 359.

*** *Ill.* Halleri *Hift. Stirp.* n. 760.



A C R I A.

P Y R E T H R U M.

ANTHEMIS Pyrethrum L. Bertramswurzel.

ODOR radicis vix ullus; SAPOR acris, linguæ inhærens.

VIRTUS irritans, ſialagoga, ſternutatoria.

USUS. Aceto & aqua cocta radix in odontalgia rheumatica & in paralyſi linguæ collutorium conſtituit.

P T A R M I C A.

ACHILLEA Ptarmica L. Nieſskraut.

ODOR radicis nullus; SAPOR acris.

VIRTUS ſternutatoria, apophlegmatiſonta.

USUS. Collutorium in odontalgia, & angina pituitoſa ad faucium mucum eliciendum datur. Herba cum floribus pro pulvere ſternutatorio.

B R Y O N I A.

BRYONIA alba L. Zaunrübe. Gichtrübe.

ODOR radicis nauſeoſus; SAPOR acriuſculus, nauſeoſus, ſubſtipticus.

VIRTUS reſolvens, purgans externa etiam applicatione.

USUS. Taleolæ recentis radicis ſubcontuſæ & cruribus hydropicorum impoſitæ ſtillicidium ſeri

alliciunt * In unguento ſuccus applicatus contra ſcrophulas, tumores rheumaticos, tumores & rigiditates articulorum in decocto egregie profuit. **

Unguentum agrippæ ad alvum movendam in lienis obſtructione, in tumido hypochondrio dextro & tumoribus frigidis adhibetur.

ARTHANITA.

CYCLAMEN europæum L. Saubrod.

ODOR radicis nullus; SAPOR acris, urens, amaricans.

VIRTUS irritans, purgans.

USUS. *Succus* umbilico illitus alvum ducere & gravidis abortum facere dicitur. In ſtrumis & aliis tumoribus duris reſolvendis caute illinitur cum melle vel oleo ſubactus. *Unguentum de arthanita* cutem rubefacit.

SCILLA.

SCILLA maritima L. Meerzwiebel. Squilla.

ODOR radicis vix ullus; SAPOR amarus, acris, nauſeoſus.

VIRTUS irritans, reſolvens.

USUS. Ad enemata acria in commotione cerebri.

---

* *Ill.* TISSOT *epiſt. ad* HALLERUM *de hydrope* &c. p. 221. in aliis tamen ſucceſſu caruit.

** *Cel.* ALSTON *M. m.* T. I. p. 401.

Oxymel ſcilliticum gargariſmatibus in angina pituitoſa additur.

ARMORACIA.

COCHLEARIA Armoracia L. Meer - rettich. Raphanus ruſticanus.

ODOR radicis recentis pungens, penetrans, nares & oculos feriens; SAPOR acris, irritans, dulceſcens, ſæpe amaricans.

VIRTUS rubefaciens, reſolvens.

USUS. Ad ℥ß impoſita plantæ pedis rubefacit revellitque. Fruſtum radicis in odontalgia rheumatica ſedanda gingivæ applicatur.

Acetum armoraciæ lentigines & ephelides faciei delet.

HELLEBORUS ALBUS.

VERATRUM album L. Weiſſe Nieſswurz.

ODOR radicis ingratus; SAPOR nauſeoſus, acerrimus, fauces adurens, diu inhærens.

VIRTUS abſtergens, irritans, ſternutatoria.

USUS. In ſcabie, tinea, pediculis forma decocti vel unguenti applicatur. *Globulus* ex radice fonticulis imponitur.

COCHLEARIA.

COCHLEARIA officinalis L. Löffelkraut.

ODOR herbæ ſubnaſturcinus; SAPOR amaricans; in ore & facibus mordens.

VIRTUS antiſcorbutica, detergens.

USUS. *Succus* cum tantillo aluminis mixtus in exulceratione oris & aliarum partium utilis eſt. *Spiritus cochleariæ* maculas ſcorbuticas bene diſcutit.

NASTURTIUM HORTENSE.

LEPIDIUM ſativum L. Gartenkreſſe.

ODOR herbæ contritæ & recentis naſturcinus; SAPOR ſubamaricans, acris.

VIRTUS antiſcorbutica, detergens.

USUS. Herba trita vel frixa cum axungia porcina capiti impoſita tineam curare dicitur. *

PLUMBAGO.

PLUMBAGO europæea L. Zahnkraut. Dentaria vel *Dentillaria.*

ODOR herbæ nullus; SAPOR acris, ſubcauſticus.

VIRTUS anticancroſa cenſetur.

USUS. Oleum foliorum infuſione olei olivarum paratum, ſæpiuſque ulceri illitum in inveteratis cancris valuiſſe dicitur ** Alii folia oleo macerata applicant. *Radix* odontalgiæ medetur. *** Etiam

* PARÆUS *lib.* 16. p. 462.

** *Cel.* SCHREIBER *Erkenntn. u. Cur der Krankh.* p. 68. Teſtis quoque citatur *Ill.* SAUVAGES felicis cancri mammarum curationis. Vid. *Cel.* CHATELAIN *diſs. de Corallorhiza. Baſil.* 1760. p. 13. Carnes mortuæ a vivis ſeparatæ & laudabilis ſuppuratio & ſanatio ſecuta.

*** BAUH. *Hiſt. pl.* T. 2. p. 941.

oleum infusum ad callos, clavosque pedum absumendos commendatur.

ASARUM.

Asarum europæum L. *Haselwurz.*

Odor radicis nauseosus, *herbæ* nullus; Sapor radicis & herbæ subaromaticus, acris.

Virtus errhina. Quandoque mucum, & sanguinem ipsum sternutatione quandoque prolicit.

Usus. Pulvis *sternutatorius* in amaurosi, cephalalgia a verme vel ulcere * sinuum pituitariorum. Inflatus pulvis in meatum auditorium surditatem curavit. **

Dosis. Grana bina vel plura naribus attrahantur. Non vero illico effectus sese exserit, sed post aliquod tempus. *Folia* minus quam radix sunt sternutatoria.

PIMPINELLA ALBA.

Pimpinella Saxifraga L. *Bibernell. Weisse Pimpinelle.*

Odor herbæ recentis halituosus; Sapor insigniter acris est, urens linguam etsi non diu: mora acre sensim debilitatur.

Virtus pituitam solvens, irritans.

---

* Vandermond *Recueil period.* 1757. p. 70.

** *Cel.* Colbatch *Discourse on acid. and. Alcali.* P. 1. p. 164.

Usus. In angina pituitosa & aquosa, in prolapsu uvulæ, in paralysi linguæ, in otalgia non inflammatoria gargarismatis forma adhibetur.

A L L I U M.

Allium sativum L. Knoblauch.

Odor bulbi recentis fragrans, validus, graveolens; Sapor subdulcescens, acris.

Virtus rubefaciens.

Usus. Succus allii herpeti illitus sæpe curat, * idem & in cophosi applicatur. In surditate rheumatica sæpius levamen attulit, expedit lanam bombicinam succo allii imbuere, illamque auri intrudere repetitis vicibus per diem unum. Meatus auditorius inde rubet, dolet & sensilis fit per diem unum alterumve; tum prurit, tandemque desquammatur redeunte sæpe auditu.

C E P A.

Allium Cepa L. Zwiebel.

Odor bulbi fragrans, validus. Recens *rescissa* radix oculos volatili suo principio ferit & lachrymas elicit. Sapor subdulcescens, acris.

Virtus stimulans, maturans.

---

* *Cel.* Bergius *m. m.* p. 256.

Usus. In bubonibus & parotidibus maturandis cum melle calefactus bulbus applicatur. * In condylomatibus callosis. **

IRIS FLORENTINA.

Iris florentina L. Violenwurzel.

Odor radicis violacens; Sapor subacris, adhærens.

Virtus abstergens.

Usus. Pulveribus dentrifriciis & errhininis odoris violacei gratia additur. Turcæ globulis e radice confectis ad fonticulos apertos servandos utuntur.

SABADILLA.

An *Veratum Sabadilli? Mexikanischer Lausesaamen.*

Odor seminis vix ullus; Sapor acerrimus, amarissimus, acrimonia diu ori inhærente.

Virtus irritans, pediculos & cimices fugans.

Usus in phthyriasi capitis vel totius corporis. Pulvis capiti inspergitur vel vestibus insuitur.

Pulvis ad pediculos. ℞. Sem. petroselini ʒij. sem. sabadillæ ʒj. m.

STAPHISAGRIA.

Delphinium Staphisagria L. Stephanskraut.

---

* Cum melle calefactus bulbus optime, ut vidi, bubones & parotides maturat.

** *Neue Versuche und Bemerk. einer Gesellschaft zu Edinburg 3. B. p 373. Cel.* Gardiner condylmata vidit adeo indurata ut nullo caustico afficerentur at cum hæc cepa oleo cocta emollirentur, tunc insperso pulvere sabinæ facile abigebantur.

Odor ſeminis foetidus; Sapor intenſe amarus, acris, fauces rodens, diu inhærens.

Virtus irritans, pediculos necans.

Usus. In capite pediculoſo, ſcabie, ulceribus fungoſis.

SINAPIS.

Sinapis nigra L. Senf.

Odor ſeminis debilis; Sapor ſubamaricans, acris, fugax.

Virtus rubefaciens, excitans, irritans.

Usus. Intra linteum maſticatum tum ad dentium dolores, tum ad linguæ paralyſim laudatur. Immerſio penis in decoctum ſinapis impotentiam paralyticam curat. Farina cum aqua cocta lavantur perniones. **

Sinapiſmus ſeu cataplaſma ex ſemine & æquali portione micæ panis cum aceto contrito herpeti, rheumatiſmo, podagræ retropulſæ, paralyſi, buboni & parotiti ſuppurandæ adhibetur. Demum pro revulſione facienda in morbis oculorum plantis pedum affigitur.

SEMEN PIPERIS.

Piper nigrum L. Schwarze Pfeffer.

---

* Impotentiam ab anaphrodiſia paralytica immerſione penis intra decoctum ſeminum ſinapis curatam memorat *ill. de* Sauvages in *Noſol. meth.* T. 1. p. 771. ſimile exemplum recenſet *Cel.* Gmelin in *Cel.* Gesners *Samml. von Beobacht. aus der Arzneygelehrtheit. Nordlingen.* 1. *B. S.* 93.

** *Ill.* Tissot *Avis au peuple.* p. 570.

Odor nullus; Sapor acris, fervidus.

Virtus ſtimulans, calefaciens.

Usus. Capiti inſpergitur ad fugandos pediculos, ope cochlearis applicatur uvulæ prolapſui. Granum immittitur denti carioſo.

NICOTIANA.

Nicotiana Tabacum L. Toback.

Odor herbæ narcoticus; Sapor amaricans, acriuſculus.

Virtus narcotica, reſolvens, inaſſuetis ſternutatoria. Quandoque ſola externa nicotianæ applicatio vomitum, aliaque ſymptomata excitat, ſi ulceribus applicatur.

Usus. *Decoctum* & *folia* parum humectata ulceribus ſordidis, verminoſis & calloſis applicantur.

Fomentum e foliis paraphymoſim chronicam, tumores frigidos teſticulorum & ſcrophulas reſolvit. * *Maſticatio* foliorum ſtrumoſis conducit.

Pulvis naribus attractus ſternutatione nares a muco purgat.

Infuſum nicotianæ ex ʒj foliorum & ℥xvi aquæ paratum eſt efficaciſſimum enema in herniis a foece, flatu vel ſpaſmo incarceratis.

---

* *Cel.* Bergius l. c. p. 119. paraphymoſim, quæ ſine dolore & inflammatione erat, largæque criſtæ ſimilis ſolo fotu e decocto tabaci brevi reſolutam vidit. Ego tumorem durum & dolentem teſticuli a varis faciei repercuſſis ortum intra 14. dies diſcuſſi.

Fumus nicotianæ mediante inſtrumento clyſmatico in inteſtina pulſus hernias incarceratas alvum procurando ſæpe reponit. Nocet vero acrimonia fumi & infuſi nicotianæ in herniis inflammatis gangrænam inducendo. * Prodeſt *fumus* ore hauſtus in odontalgia rheumatica & carioſa. Idem fumus ad purgandum aërem putridum imo ipſa in peſte ** laudatur.

FLAMMULA JOVIS.

Clematis erecta L. Brennkraut. Brennende Waldrebe.

Odor herbæ debilis; Sapor acriuſculus, fauces linguamque rodens, ſubinflammans.

Virtus detergens, ſubrodens.

Usus. Pulvis foliorum ulcera ſordida, concreſcentia, fungoſa & carioſa purificat. ***

SABINA.

Juniperus Sabina L. Sevenbaum.

Odor foetidus, gravis; Sapor amaricans.

Virtus detergens, antiſeptica, anticarioſa.

---

* *Ill.* Richeri *Abh. von Brüchen.* T. I. p. 106.

** Diemerbroeck *tract. de peſte.* p. 157. 162. 180.

*** *Ill. L. B. de* Stoerck. *libellus de flammula jovis & libellus de pulſatilla nigricante.* p. 57.

Usus. Pulvis in condylomatibus venereis, * in fungo cerebri, in polypis narium, ** in ulceribus fungosis, & cariosis inspergitur. Decocto scabies lavatur. Oleo ulcera manantia siccantur. *** Is cum melle illitus ulcera sordida depurat. Infusum odontalgiam sistit, decoctum ulcera cariosa & spinam ventosam sanat. ****

ESULA.

Euphorbia helioscopia L. Wolfsmilch.

Odor herbæ debilis; Sapor acris.

Virtus rubefaciens.

Usus. Succus in verucis & tinea prodest.

SEDUM ACRE.

Sedum acre L. Mauerpfeffer. Illecebra - Sedum minus.

Odor herbæ debilis; Sapor acris, mordens. Herba *sicca* est effoeta.

---

* Faber *malad. vener.* T. 1. p. 365.

** *Ill.* de Haen *Prælect. in institut. patholog.* T. III. p. 489.

*** *Ill.* Haller *hist. stirp.* n. 1662.

**** *Cel.* Hoffmann *vom Scharbock &c. Münster* 1782. p. 247. saturato sabinæ decocto, addito pauxillo spiritus vini, in forma fomenti applicato aliquot ulcera cariosa sanavit.

Virtus

VIRTUS antiscorbutica, detergens, rubefaciens.

USUS. Succus vel herba contusa ad ulcera scorbutica, cancrum, * carbunculum, gangrænam, tineam laudatur.

RHODODENDRUM.

RHODODENDRUM chrysanthum L. Sybirische Schneerose.

ODOR herbæ siccæ nullus; SAPOR adstringens, amaricans, subacris. *Decoctum* urens, fauces contrahens.

VIRTUS irritans, antarthritica.

USUS in odontalgia arthritica, in ulceribus arthriticis.**

PHYTOLACCÆ.

PHYTOLACCA decandra L. Virginische Phitolacke-Alkermes.

ODOR herbæ nullus; SAPOR herbæ *teneræ* mitis, herbæ *adultæ* acris.

VIRTUS anticancrosa censetur. ***

---

* *Cel.* BUCHOZ *Medicine rurale.* Ego succum hujus herbæ ad verrucam cancrosam faciei per tres septimanas sine effectu adhibui.

** *Cel.* KÖLPIN *Practische Bemerkungen über den Gebrauch der Sybirischen Schneerose in Gichtkrankheiten. Berlin.* 1779.

*** *Cel.* VOGEL *materia medica.* p. 114. Ego succum ad mellis consistentiam insolatum in cancro faciei incassum adhibui.

Usus in ulceribus antiquis & profundis. *

URTICÆ.

Urtica dioica L. grosse Brennessel.

Odor herbæ debilis; Sapor debilis, leniter amaricans.

Virtus herbæ recentis & integræ cuti applicatæ urens ac maculas mox rubicundas, tum bullatas excitans.

Folia urticæ pungunt pilis rigidis, perforatis, acuminatis, basi instructis vesicula humore acri turgida. Quando acumen pili cutem perforat, reprimitur pilus recurvus, unde compressa vesicula per pilum in vulnusculum manat humor, qui acrimonia sua rodit & exanthema urticatum excitat. Itaque urit urtica pari modo ac vipera **

Usus. Membra paralytica & penis impotens urticis cædenda.

CHELIDONIUM.

Chelidonium majus L. Grofs Schellkraut-Shwalbenkraut.

Odor herbæ subgraviusculus; Sapor acris. Subamaricans. Tota planta succo croceo turget.

Virtus abstergens.

---

* *Acta suecica* de anno 1743. & 1744.

** *Cel.* Rob. Hooke. *Micrograph.* p. 142. *observ.* 25. *schem.* 15. *Fig. A. B.*

Usus. *Succus* ad verrucas & herpetem; *Mel chelidonii* ad ulcera ſordida laudatur.

DIGITALIS PURPUREA.

Digitalis purpurea L. Fingerhutblume.

Odor herbæ nullus; Sapor amarus, ingratus, os fauceſque exulcerans.

Virtus reſolvens, excorians.

Usus. *Unguentum digitalis*, quod ex floribus digitalis & axungia porcina paratur, ad ſananda ulcera ſcrophuloſa proponitur. *

RADIX CEANOTHI.

Ceanothus Americanus. L. Nordamerikaniſcher Ceanothus.

Odor nullus; Sapor acris.

Virtus abſtergens.

Usus. Americani pulverem ulceribus venereis inſpergunt.

RAPHANUS NIGER.

Raphanus ſativus L. Schwarzer Rettich.

Odor peculiaris; Sapor valde acris, non tamen ingratus.

Virtus rubefaciens.

---

* *Ill.* Murray *ap. med. vol.* I. p. 492.

Usus. Orbiculi ſaliti cuti applicati, inſtar ſinapiſmi illam rubefaciunt.


FERMENTUM PANIS.

Eſt paſta farinacea fermentatione aceſcens. *Sauerteig.*

Odor & Sapor aceſcens.

Virtus rubefaciens.

Usus. Infantum & teneræ cutis hominum plantis vel ſurris qua revellens & rubefaciens applicatur. Etiam tumoribus in ſuppurationem difficulter deducendis adhibetur.



NARCOTICA.

CAPITA PAPAVERIS.

Papaver ſomniferum L. Mohnköpfe.

Odor narcoticus; Sapor amaricans.

Virtus anodyna.

Usus. Capita contuſa cum foliis ad fomenta anodyna adhibentur.

OPIUM.

Papaver ſomniferum L. Mohnſaft. Opium.

Odor validus, narcoticus; Sapor nauſeoſus, amaricans, acris, calidiuſculus.

VIRTUS anodyna, somnifera, * abstergens, resolvens, irritans.

USUS. Ad resolvendos vel maturandos tumores frigidos venereæ, scrophulosæ vel rheumaticæ indolis emplastris resolventibus additur. Alii lapidi caustico vel emplastro vesicatorio opium admiscent, ut minori cum dolore caustica agant. ** *Laudanum liquidum* in chronica oculorum inflammatione oculis ad unam alteramve guttam instillatur *** Granum medium opii denti carioso dolenti immittitur. Emplastrum opiatum locis spasmo contractis applicatur, opium cum stanni pulvere ad maculas corneæ laudatur. **** Dolor ulcerum dolentium vel mali moris ***** laudano sopitur.

CROCUS.

CROCUS sativus officinalis. L. Safran.

ODOR stigmatum fragrans, similis alcali volatili urinoso mediocriter aromatico; SAPOR aromaticus, subamaricans.

---

* *De la* PARADE in *Saml. f. p. Aerzte* 4. *St.* I. *Th.* p. 45. Laudanum capiti & spinæ dorsi affrictum, somnum attulit.

** *Ill.* ACREL *Chir. Vorfälle* T. 2. p. 445.

*** *Samlung f. P. Aerzte.* 6. *B.* 2. *St.* 366. *S.*

**** *Ill.* BOERHAAVE *in tract. de morbis oculorum.*

***** *Ill.* RICHTER *Ch. Bibl.* 5. *B.* 1. *S.* 117. *S.*

Virtus resolvens, anodyna, antispasmodica.

Usus. Vino irroratus applicatur in nervis læsis & locis contusis; lacte subcoctus in ophthalmia sicca laudatur.

HYOSCIAMUS NIGER.

Hyosciamus niger L. Bilsenkraut.

Odor foliorum narcoticus, ingratus, tabacinus; Sapor fatuus, mucilaginosus.

Virtus anodyna, emolliens, resolvens, antiphlogistica.

Usus. Ad cataplasmata andyna folia cum lacte coquuntur, in inflammatione lactea mammarum, * in tumoribus dolorosis rheumaticis & arthriticis.

Fumus foliorum combustorum ad sopiendam odontalgiam ore a plebe hauritur, at hic fumus quandoque delirium induxit.

Emplastrum de hyosciamo est anodynum.

Tinctura odontalgica Hoffmani ad odontalgiam sedandam.

Unguentum de hyosciamo in tumoribus glandularum & hæmorrhoidibus coecis adhibetur. Cum emplastro vesicatorio mixtus ardorem ejus mitigat.

---

* *Cel.* Renard *Journal de medecine* T. 28. p. 241. multis casibus in inflammatione & aliis tumoribus id demonstrat.

BELLADONA.

Atropa Belladona L. Tollkirschenkraut.

Odor foliorum vix ullus; Sapor acriusculus, subnarcoticus.

Virtus anodyna, resolvens.

Usus. Pulvis foliorum in cancro aperto externe insperfus aut cum emplastro de cicuta contritus adplicatur.

Folia recentia mammæ imposita, duritiem tumoresque cancrosos emolliverunt & discusserunt, in hæmorrhoidibus, in scirrhis, * etiam eorum usus utilis est.

Radix in lacte cocta, ano & perinæo applicata tumorem insignem intestini recti, obstructionem alvi creantem, dissolvit. **

STRAMONIUM.

Datura Stramonium L. Stechapfel.

Odor plantæ virosus, narcoticus, temulentiam inducens. Sapor amarus.

Virtus anodyna, emolliens, resolvens.

Usus. Lac mammarum foliis recentibus dissipatur *** Tumores duri & inflammatorii cataplasmate herbæ stramonii emolliuntur.

---

* Herman *M. m* T. 2. p. 321.

** *Cel.* Graham in *med. & phil. Commentaries Vol.* I. p. 419.

*** *Fränk Anmerkungen* I. *B.* p. 424.

LINARIA.

Antirrhinum Linaria L. Leinkraut.

Odor herbæ virosus; Sapor subamarus, ingratus.

Virtus anodyna.

Usus. Unguenti vel cataplasmatis forma hæmorrhoides coecas dolentes lenit & dissipat. *

SOLANUM NIGRUM.

Solanum nigrum L. Nachtschatten.

Odor herbæ foetidus; Sapor subfatuus.

Virtus anodyna, resolvens, antiphlogistica.

Usus. Folia contusa per triduum applicata certum remedium sunt adversus *Bulam arabum*, qui morbus consistit in ulcere, partes sine dolore corrodente. ** Demum in variis vitiis cutis & oculorum, erysipelate, herpete, inflammatione, parotidibus, ulceribus cancrosis, laudantur.

MANDRAGORA.

Atropa Mandragora L. Alraunwurzel.

Odor radicis narcoticus, inebrians; Sapor acriusculus, amaricans, nauseosus.

Virtus anodyna, resolvens.

---

* *Cel.* Horst *Obser. L.* 4. *Obs.* 50. *Sim.* Paulli *bot. p.* 451.

** *Cel.* Forskal *desc. plant.* c. 2. p. 46.

Usus. *Pulvis* radicis cum mello vel lacte in pultem redactus parotides, bubones, ſcirrhos reſolvit *

C I C U T A.

Conium maculatum L. Schierling.

Odor herbæ foetidus, murinus; Sapor leniter aromaticus, ſubnauſeoſus.

Virtus anodyna, indurationes reſolvens, ſuppurationem promovens.

Usus. Ulcera ſordida & cancreſcentia ut & cancrum ſcrophuloſum quandoque curat. ** Tumores induratos reſolvit. Scabiem aliosque morbos cutaneos & leucorrhæam lotiones ex cicuta ſanarunt: eadem in tinea & ozoena utilis fuit deprehenſa.

Applicatur *forma* cataplaſmatis, fomenti, emplaſtri, pulverisque ſicci; aut pulvis mediante melle in linimentum redigitur, aut extractum aqua calcis dilutum forma aquæ vulnerariæ adhibetur.

Decoctum ex aqua calcis cum multa herba cocta paratum, cujus libræ drachma ſublimati addebatur, cancroſum faciei ulcus ſanabat, quod ab aqua phagadenica antea non ſanabatur. ***

---

* Hoffberg *in den Schwed. Abhandl.* 34. *Th.*

** *Ill. L. B. a* Störck in *libellis duobus de cicuta* & in *ſupplemento neceſſario* & in *libello, quo continuantur experimenta.* Et *Clar. Prof. a* Leber *Abh. vom Schierling in der Wundarz. Wienn.* 1762.

*** *Cel.* Consbruch in *N. Act. Ac. Nat. curios.* T. V.

VERBASCUM.

Verbascum Thapſus L. Wollkraut.

Odor ſubnarcoticus; Sapor ſubamaricans, ſubrancidus.

Virtus anodyna, emolliens.

Usus. Folia & flores cum lacte cocti ad hæmorrhoides dolentes laudantur.

MERCURIALIS.

Mercurialis annua L. Bingelkraut.

Odor herbæ graveolens, foetidus. Sapor ingratus, amaricans, ſubſalſus.

Virtus reſolvens, anodyna, non emolliens, ut quondam credebatur.

Usus ad enemata.



SUBINSIPIDA.

BRASSICA ALBA.

Brassica oleracea L. weiſſer Kohl.

Odor foliorum debilis; Sapor oleraceus, ſubdulceſcens.

Virtus detergens, ſolvens.

Usus. Folia recentia ulceribus a veſicatorio vel ſynapiſmo inductis impoſita ſtillicidium ſeri puriformis promovent, at hæc folia brevi foetidula

evadunt, unde odor subcadaverosus, quem stillans serum communiter spirat, foetore foliorum intenditur. Folia tepida forma cataplasmatis mammis puerperarum applicata coagulum lactis & effluxum nimium lactis arcent. *

BETA RUBRA.

Beta vulgaris L. Mangold. Rothe Rüben.

Odor foliorum nullus; Sapor mitis, herbaceus.

Virtus emolliens. *Succus* radicis naribus attractus, sternutationem movet.

Usus. Imponüntur folia ulceribus vesicatorio inductis.

SEMPERVIVUM.

Sempervivum tectorum L. Hauswurz Hauslauch.

Odor foliorum debilis; Sapor subsalsus, leniter stipticus.

Virtus refrigerans, abstergens.

Usus. *Succus* ad hæmorrhoides, aphthas, ulcera applicatur. *Folia* recentia & subcontusa acetoque macerata clavis imponuntur.

TELEPHIUM.

Sedum Telephium L. Telephisches Wundkraut. **

---

* *Ill.* Murray *ap. m.* T. 2. p. 303.

** Quod ulceribus deploratis, quibus Telephus, Mysiæ Rex, ab Achille vulneratus consanatus dicitur, nomen habet,

Odor foliorum nullus; Sapor nullus.

Virtus refrigerans, antiſcorbutica.

Usus. Folia recentia ut ſempervivum clavis imponuntur. Sub hac applicatione clavus albeſcit, inſenſilis fit & repetitis applicationibus ſæpe cadit.

BONUS HENRICUS.

Chenopodium Bonus Henricus L. Guter Heinrich.

Odor herbæ nullus; Sapor oleraceus, gratus.

Virtus abſtergens, emolliens.

Usus Folia recentia oedematibus vel ulceribus impoſita magnam copiam ſeri purulenti alliciunt. *

LYCOPODIUM.

Lycopodium clavatum L. Gürtelkraut, Hexenkraut, Bärlapp.

Odor herbæ vix ullus; Sapor debilis.

Virtus detergens.

Usus. Plica polonica latens vel ſuppreſſa fomento tepido hujus herbæ aqua vel cereviſia decoctæ &

---

* *A. N. C. vol. I. obs.* 57. S. Pauli cataplaſma inde paratum ad podagram laudat; oedema pedum foliorum recentium ope curatam vidit Dilenius. unde *Ccl.* Spielmann *inſtitut. mat. med.* 453.

capiti applicato ſæpe prodit cum ſymptomatum levamine. *

SIDERITIS.

STACHYS recta L. Volſperkraut. Beſchreykraut.

ODOR herbæ mucidus, fortis. SAPOR herbaceus.

VIRTUS anodyna.

USUS. Balneum & lotiones ad contracturas dolorificas artuum, quæ faſcino a vulgo tribuuntur, utiles ſunt. Decoctum ore detentum in odontalgia proficuum vidi.

BECCABUNGA.

VERONICA Beccabunga L. Bachbungen.

ODOR herbæ debilis; SAPOR ſubamaricans.

VIRTUS antiſcorbutica.

USUS in ulceribus ſcorbuticis. **

SENECIO.

SENECIO vulgaris L. Kreutzkraut.

ODOR herbæ nullus; SAPOR oleraceus, quodammodo ſalſus.

---

* GABRIEL *diſs. de Plica polonica. Budæ* 1780. p. 76. laudatur etiam unguentum ex lycopodio clavato, radice bryoniæ & adipe erinacei. BERNIZ *Miſc. N. C. dec* 1. *ann.* 2. *obſ.* 52.

** SIM. PAULI *Quadrip.* p. 239. ulcus ſcorbuticum univerſam fere tibiam depaſcens in ſcorbutico ſola beccabunga in cerevilia cocta & applicata conſolidabatur.

VIRTUS emolliens, & resolvens, suppurans.

USUS. Herba lacte cocta coagulis mammarum lacteis, hæmorrhoidibus, tumoribus arthriticis * & furunculo applicatur. **

ANCHUSA.

ANCHUSA tinctoria L. rothe Ochsen zunge.

ODOR radicis nullus; SAPOR insipidus, non adstringens, *extractum* vero amaricans.

VIRTUS rubro-tinctoria. Soli cortici pigmentum inest.

USUS. *Unguentum rubrum ad labia oris* hac radice tingitur.

OPUNTIA.

CACTUS Opuntia L. Indianische Feige.

ODOR foliorum nullus; SAPOR herbaceus.

VIRTUS mucilaginosa, antiphlogistica, sudorem eliciens.

USUS Folia podagræ inflammatoriæ, tumoribus rheumaticis & arthriticis imponuntur. ***

---

* TOURNEF. *pl. de Paris* I. 2. p. 105.

** *Ill.* LINNE *Suec.* p. 291.

*** *Cel.* PAULLE *von den guten Wirkungen des äusserlichen Gebrauchs der Blätter der indianischen Feige bey Entzündeten podagrischen Geschwülsten.* vide *Journal de Medecine* p. 308. & *Samlung zum Gebrauche practischer Aerzte.* 5. *B.* 2. *St.* p. 246.

SAPONACEA.

SAPO VENETUS.

Eſt maſſa, ex oleo olivarum & alcali fixo ope calcis vivæ exacuato conſtans. *Venediſche Seife.*

Odor vix ingratus; Sapor pinguis, ſalſus.

Virtus abſtergens, reſolvens.

Usus. In tumoribus induratis, frigidis lacte ſolutus ſapo applicatur. *Spiritus Saponatus* ganglia & tumores cyſticos reſolvit. *Emplaſtrum ſaponatum* eſt egregium reſolvens.

SAPO NIGER.

Eſt maſſa ex ſevo & cinere ſalino confecta. *Schwarze Seife.*

Odor rancescens; Sapor acris, oleoſo-ranceſcens.

Virtus abſtergens, irritans, reſolvens.

Usus. Additur fomentis reſolventibus. Verrucæ & clavi ſapone ſaliva humectato fricti, ſordities ulcerum, vulnerum, cutis ſcabies cruſtoſa * ſolutione ſaponis ſæpius lota evaneſcunt. Demum

---

* *Ill.* Baldinger *Von den Krankheit. einer Armee. Longenſalza* 1774. p. 363. militibus ſcabioſis ideo in exercitu boruſſico omni hebdomade fruſtum ſaponis porrigebatur.

ad alvum sollicitandam forma suppositorii intestino recto immittitur.

SAPONARIA.

SAPONARIA officinalis L. Seifenkraut.

ODOR herbæ fere nullus; SAPOR subglutinosus, amaricans.

VIRTUS, saponacea, detergens, maculas pingues ex linteo eluens.

USUS. Fomentum ad tumores rheumaticos, arthriticos, ad ulcera sordida & morbos cutaneos abstergendos adhibetur.

DULCIA.

SACCHARUM.

SACCHARUM officinarum L. Zuker. Est sal essentiale *ARUNDINIS saccharifera L.* quod ex phlogisto & acido proprio constat.

ODOR nullus; SAPOR dulcissimus.

VIRTUS detergens, antiseptica, * resolvens, irritans.

* Caro cervina saccharo condita summa æstate non putrescit. Vitellus ovi & sanguis cum sacchari solutione, ne exacto quidam septimo die, notas putredinis exhibuit, *Cel.* BEHRENS *diss. dulcium naturam & vires expendens. Göttingæ* 1779.

USUS

Usus. Ulcera ſordida & ſarcotica inſperſo ſaccharo deterguntur. Dentes ſordidi ſaccharo deterſi purificantur. Maculæ corneæ ſaccharo frictæ interdum minuuntur. Fiſſuræ in papillis mammarum lactantibus adeo moleſtæ ſaccharo *cando* vel ad flammam candelæ fuſo inſperguntur. Aphthæ oris & aurium foetidum profluvium aqua ſaccharata eluuntur. Fiſtulæ ſaccharo *thomæo* ſoluto injiciuntur. Coryzæ infantum ſacchàri pulvis inflatus medetur. *Saccharum thomæum* ad ℥j vel ℥ij aqua ſolutum pro enemate alvum ſollicitante adhibetur.

MEL VIRGINEUM.

Eſt ſuccus dulciſſimus ab *Ape Mellifera L.* ex nectariis florum collectus, atque intra favos repoſitus. *Honig.*

Odor fragrans, haud ingratus; Sapor dulcis, acriuſculus.

Virtus abſtergens, reſolvens, maturans, antiſeptica,* vulneraria.

Usus. Ad ulcera detergenda & ſananda, ad tumores maturandos vel frigidos reſolvendos, ad ſanandas maculas & ulcera corneæ cum bile vel pauco vitriolo albo datur. Mel cum vini ſpiritu dilutum oſſibus nudatis & carioſis medetur.

* Hinc babylonii ſua cadavera melle ſepeliebant, teſte Herodoto.

Mel rosarum magis roborat, quam mel *simplex*. *Enema mellitum* alvum aliquoties sollicitat.

POMA BORSDORFIENSIA.

Pyrus Malus borsdorfiensis L. dat hos fructus. *Borsdorfer-Aepfel.*

Odor debilis; Sapor acidulo-dulcis.

Virtus refrigerans, emolliens.

Usus. Cataplasma e pulpa pomorum in aqua coctorum in ophthalmia sicca laudatur, at usus nimis protractus oedema palpebrarum causat.

MORA.

Fructus *Mori nigræ L. Maulbeere.*

Odor vix ullus; Sapor acidulo-dulcis.

Virtus refrigerans, abstergens, subadstringens.

Usus. *Rob mororum* ut linctus refrigerans cum vel sine additis guttis aliquibus spiritus vitrioli præscribitur ad aphthas oris, anginam & aridam linguam in febribus mitigandam.

FICUS.

Ficus Carica L. Feigen.

Odor vix ullus; Sapor dulcis, melligenus. Indoles mucilagineo-mellea.

Virtus emolliens, maturans.

Usus. Lacte cocta & discissa carica ad furunculos, abscessus & parulidem maturandam applicatur. *Decoctum* lacteum forma gargarismatis in angina suppuratoria adhibetur. Verrucæ lacte recenti in foliis contento sæpius humectatæ evanescunt.

APIUM.

Apium graveolens L. Selery - Garteneppich.

Odor subaromaticus subgraveolens; Sapor subdulcescens, subaromaticus.

Virtus anodyna.

Usus. Cataplasma ex apio raso cancri edacis dolores mitigare dicitur.

RAPA.

Brassica Rapa L. Weisse Rübe.

Odor rapaceus; Sapor dulcescenti - subamaricans.

Virtus detergens.

Usus. *Succus* ad aphthas oris applicatur. Decoctum calidum forma pediluvii vel manuluvii pluries per diem applicatum perniones chronicos curat *. In recentibus vero pernionibus posset calor aquæ ansam gangrænæ dare.

LIQUIRITIA.

Glycyrrhiza glabra L. Süsshol z. Glycyrrhiza.

---

* *Cel.* Tissot *avis au peuple* p. 569. Quidam corticem unice decoquunt & decimam sextam partem aceti vini addunt.

ODOR debilis ; SAPOR radicis dulcis, nonnihil mucilaginosus. Coctione ingrate amarescit.

VIRTUS emolliens. Radix vel succus ore retentus sitim sedat.

USUS. Succus liquiritiæ in erosione faucium deglutitur. Instar suppositorii usurpatum in hæmorrhoidariis ardorem ani levat. * *Unguentum de liquiritia* excoriationes & fissuras sanat. sed cave, ne ori adhibeatur deglutiendum, nam continet cerussam. *Pulvis* additur pilulis, ne inter se concrescant.

D A U C U S.

DAUCUS Carota L. gelbe Möhren.

ODOR aromaticus, non ingratus ; SAPOR dulcescens, leniter aromaticus.

VIRTUS antiseptica, detergens.

USUS. Radix recens decorticata super radula conteratur & succo manu antea expresso, in sartagine terrea incalescat, & puls vulneri immittatur, postea linteo calido tegatur. Idque bis intra nychthemerum repetatur. Non solum in ulceribus scrophulosis, ** scorbuticis, venereis & cacoethicis crurum & inguinum, sed etiam in cancrosis labiorum & faciei *** dolores sedat,


* *Ill.* STOERCK *Unterricht für Feld und Wundärzte* T. 2. p. 81.

** SULZER in *Journal de Médecine* T. 24. p. 68. & GIBSON in *Médecal observat. and. Inquir. T.* 4. p. 183.

*** HAUTESIERCK *Rec. d' observations* T. 2. p. 561.

ſuppurationem & foetorem coercet & margines callоſos emollit, conſolidationem denique perficit, at in cancro mammæ, ut expertus ſum, parum profuit. * Daucus cum herba cicutæ in cataplaſma redactus adhuc efficacius agit. ** Quoties cataplaſma e dauco in cancro ſcrophuloſo mutabatur, toties illud ſemper quaſi calcarea quadam materie obductum apparebat.

Sapa dauci, *decoctum* & *ſuccus expreſſus* in aphthis oris infantum cum tantillo mellis roſacei mixtus, penicillo applicatus, ad cochlear unum parvum deglutitum bene emollit & abſtergit. Decoctum cum ſyrupo violarum bene ſuſtinet ptyaliſmum in variolis.



ACIDA VEGETABILIA.

ACETUM VINI.

Eſt liquor *acidus*, ex vini fermentatione acida natus. *Weineſſig.*

Odor fragrans, acidus; Sapor acidus.

Virtus reſolvens, leniſſime irritans, adſtringens, antiſeptica, antiphlogiſtica.

* *Cel.* Nicolson in *med. obſervat. and. Inq.* T. 4. p. 363. & *Cel.* Schmucker *Chir. Wahrnehem.* T. 2. p. 151.

** *Ill.* Bergius *m. m.* p. 192.

Usus. *Oxycratum*, quod ex aqua & aceto conſtat, inflammationem a cauſa externa: ut contuſione, ſugillatione, fractura natam reſolvit. Oxycratum frigidum in menorrhagia abdomini & lumbis applicatur. Perniones aceto diſcutiuntur.

Acetum calefactum magis adſtringit, hinc hæmorrhagiam narium & eam, quæ dentem evulſum ſequitur, compeſcit. Callos & clavos pedum emollit, nec non callum oſſis fracti, hinc non nimis diu oxycratum in fracturis oſſium continuandum.

Acetum deſtillatum ſeu *ſpiritus aceti* naribus admotus ſyncopticos & ex cerebri commotione aſphyctos excitat.

Vapor aceti aërem putridum corrigit.

Sal aceti * eſt gratum odoramentum debiles & ſyncopticos efficaciſſime reficiens.

CREMOR TARTARI.

Eſt *ſal eſſentialis* vini. *Weinſtein.*

Odor nullus; Sapor acidus. *Conſtat* ex alcali vegetabili fixo cum multo acido tartari ſuperſaturato. Uncia aquæ frigidæ non ultra tria grana tartari ſolvit. Admixta boracis quinta parte fit cremor valde ſolubilis.

---

* *Cel.* Westendorff *diſs. de optimo acetum concentratum, ejuſdemque naphtam conficiendi ratione. Goettingæ* 1772. p. 7.

VIRTUS abstergens.

USUS. Cum borace abstergit maculas corneæ,* aphthas oris, ulcera sordida. *Pulvis ophthalmicus* B*ALDINGERI* a cremore tartari suam efficaciam in delendis maculis corneæ habet.

FOLIA ACETOSÆ.

RUMEX Acetosa L. Saurampfer.

ODOR nullus; SAPOR intense acidus, gratus.

VIRTUS refrigerans, antiscorbutica.

USUS. *Succus* expressus, cum aqua vulneraria mixtus ulcera sordida & scorbutica bene curat. Ardor linguæ a masticato ranunculo masticatione foliorum acetosæ mitigatur.

FOLIA ACETOSELLÆ.

OXALIS Acetosella. L. Saurklee.

ODOR nullus; SAPOR dulcescenti-acidus, gratus.

VIRTUS refrigerans, antiscorbutica, hinc

USUS, ut acetosæ.

SUCCUS CITRI.

CITRUS Medica L. fructum dat, ex quo succus exprimitur. *Citronensaft.*

---

* *Pharmacopoea Edinburg. cum additamentis Ill.* BALDINGER p. 274. Ex sacchari albi, boli albæ vel rubræ & cremoris tartari anaticis portionibus constat.

ODOR nullus; SAPOR intenſe acidus.

VIRTUS antiſeptica, antiſcorbutica.

USUS in eryſipellate ſcorbutico, * in gingivis ſcorbuticis.

Cremor ſaturni, ** qui e ſucco citri & extracto ſaturni paratur, in morbis cutaneis laudatur.

Lamella ex flavedine citri ſuperficie alba cuti temporum applicata rubedinem inducit & cephalalgiam ſedat. ***

ACIDA MINERALIA.

SPIRITUS VITRIOLI DILUTUS.

Eſt *acidum* ex *vitriolo* elicitum, aqua impraegnatum. *Vitriolgeiſt.*

ODOR peculiaris; SAPOR acidiſſimus.

VIRTUS antiſeptica ſanguinem coagulans, vaſa & fibras contrahens.

USUS. Olei vitrioli guttae 30 cum ℥j aquae & ℥j mellis diluuntur: ſic dilutus ſpiritus ad ulce-

* Eryſipelati ſcorbutico tibiarum frictione cum pulpa citri medicatus eſt *Cel.* BERGIUS. l. c. p. 635.

** *Pharmacop. ſuecica* p. 24.

*** *Cel.* HOME *Cliniſche Verſuche.* p. 34.

ra gangrænosa & cancrum aquaticum oris adhibetur. *

SPIRITUS SALIS DILUTUS.

Est *acidum* ex *sale communi* elicitum, aqua impraegnatum. *Salzgeist.*

ODOR croceus; SAPOR acidissimus.

VIRTUS antiseptica, roborans.

USUS. Cum oleo terebinthinæ mixtus tumores arthriticos resolvit, ** cum aqua & melle dilutus ad cancrum aquaticum oris, ulcera gangrænosa & scorbutica laudatur.

SPIRITUS NITRI DILUTUS.

Est *acidum e nitro* elicitum, aqua impraegnatum. *Salpetergeist.*

ODOR peculiaris; SAPOR acidissimus.

VIRTUS detergens, antiseptica, roborans.

USUS. Dentium sorditiem aufert & dentes dealbat. Gutta una alterave multa aquâ diluta applicatur.

---

* *Cel.* BRUINEMAN *von einem Wasserkrebs oder scorbutischen Krebsgeschwür an der Unterlippe in Samlung für practische Aerzte* 5. *B.* 3. *St.* 477. *S.*

** *Cel.* POTT *observ. Chym. Coll.* 1. *de sale communi Berol.* 1739. p. 95.

ACIDA DULCIFICATA.

SPIRITUS VITRIOLI DULCIS.

Eſt *acidum vitrioli alcohole vini dulcificatum. Verſüſster Vitriolgeiſt. Liquor anodynus mineralis* HOFMANNI.

ODOR ſpirituoſus, gratus. SAPOR ardens, ſpirituoſus. VIRTUS antiſeptica, roborans, adſtringens.

USUS. *Aqua Thediana*, quæ maximam partem ex acido vitrioli ſpiritu vini diluto conſtat, * ad compeſcendam hæmorrhagiam, moderandam vulnerum nimiam ſuppurationem & ad conſolidanda vulnera egregium eſt remedium. Ad vulnera, ulcera & tumores vaſorum lymphaticorum curanda unicum & efficaciſſimum mihi eſt remedium. Cum ſaturato corticis peruviani decocto mixtum in ulceribus gangræneſcentibus, & eryſipelatoſis eſt perutile. In tumoribus inflammatoriis a contuſione vel vulnere, fractura, aut luxatione natis.

SPIRITUS SALIS DULCIS.

Eſt *acidum ſalis alcohole vini dulcificatum. Verſüſster Salzgeiſt.*

---

* *Cel.* THEDEN *Neue Bemerkungen und Erfahr.* 1. *Th.* p. 29. & hujus aquæ emendationem 2. *Theil.* p. 2. in præfatione.

ODOR peculiaris, SAPOR penetrans.

VIRTUS roborans, antifeptica.

USUS in pernionibus. Cum charta emporetica caute applicatus hirfutiem tollit & crines exftirpat. * Demum in angina gargarifmatibus additur. In oris ulceribus cum melle mixtus convenit.

NAPHTHA VITRIOLI.

Eft *acidum vitrioli oleo vini dulcificatum. Vitriol-Naphtha.*

ODOR gratus, penetrantiffimus; SAPOR refrigerans, penetrans, fragrans.

VIRTUS penetrans, nervina, refolvens.

USUS. Buccæ illitus æther & manu tectus odontalgiam fiftit, ** ulcera difficulter cicatricem induentia exficcat. ***

NAPHTHA ACETI.

Eft *acidum aceti oleo vini dulcificatum. Effig-Naphtha.*

---

* *Ill.* LINNE *mat. med.* p. 282.


** *Cel.* CULLEN *lectures on the materia medica. Lond.* 773.

*** *Cel.* AITKENS *Anfg. der Wundarzney-kunft.* p. 177.

Odor vini rhenani; Sapor acidus, fragrantiſſimus.

Virtus penetrans, irritans, antiſeptica, reſolvens.

Usus in angina gangrænoſa, ulceribus ſcorbuticis aut putridis. *



ALCALINA FIXA.

SAL TARTARI.

Eſt ſal alcalinus vegetabilis fixus e tartaro elicitus. *Weinſteinſalz.*

Odor nullus; Sapor lixivioſus, cauſticus.

Virtus reſolvens, abſtergens, antacida.

Usus in indurationibus lacteis ** & ſcirrhis mammarum, teſticulorum aliarumque partium. ***

Oleum tartari foetidum eſt valde ſolvens medicamentum, hinc in tumoribus frigidis utile.

---

* *Cel.* Westendorf *diſs. de optima acetum concentratum ejusque naphtham conficiendi ratione. Goettingæ.* 1772.

** *Cel.* Levret. 40 grana ſalis in ℔ij aquæ ſoluta ope linteorum applicantur. Sæpe epidemis ſecedit.

*** *Ill.* Bergius *mat. med.* p. 169. & *Cel.* Albrecht ſcirrhum mammæ a terrore ortum cicuta & oleo tartari per deliquium interne & externe adhibito ſublatum vidit *Cel.* Baldinger *Neues Magazin für Aerzte.* 1. *B.* 3. *St.* 245. *S.*

Lixivium e cineribus ſarmentorum vitis ſaturatum & calefactum contra panaritium exulceratum commendatur, digitus eidem immergatur. *

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.

Eſt ſal tartari humiditate aëris liquefactus. *Weinſteinöl.*

ODOR nullus; SAPOR lixivioſus, cauſticus.

VIRTUS ut ſalis tartari.

USUS. Cruſtæ tineoſæ hoc oleo illitæ decidunt. **

Guttæ quædam hujus olei multa aqua dilutæ furfures capitis bene abigunt.

SAL SODÆ.

Eſt ſal alcalinus mineralis fixus. *Sodaſalz.*

ODOR nullus; SAPOR amaricans, blandior tamen lixivioſus, quam in ſale tartari.

VIRTUS detergens, reſolvens.

USUS. In ulceribus rhachiticis depurandis & tumoribus chronicis reſolvendis.

LIQUOR NITRI FIXI.

Eſt ſal alcalinus fixus cauſticus e nitro elicitus. *Fixer Salpeterliquor.*

---

* *Nouvelliſte economique & litteraire. T.* 5.

** *Cel.* SELLE *medicina clinica.* p. 215.

Odor nullus; Sapor causticus, lixiviosus.

Virtus caustica, detergens, ut olei tartari per deliquium.

Usus. Multa aqua dilutus & in vesicam urinariam injectus calculum ejus solvere dicitur.


CINIS BUFONUM.

Rana Bufo L. Kröte. Bufones in vase clauso in pulverem comburuntur.

Odor nullus; Sapor terreo-lixiviosus.

Virtus abstergens.

Usus in tinea capitis. Caput lardo illitum cinere bufonum inspergitur & ope vesicæ per 24 horas deligatum relinquitur. Crustæ dein ope unguenti emollientes separentur. Sic caput intra 24 horas purum apparere dicitur. *



ALCALINA VOLATILIA.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI SIMPLEX.

Est sal alcalinus *volatilis* e sale ammoniaco ope calcis vivæ expulsus.

* *Cel.* Gardane *Gazette de Santé ann.* 1773. & 74. *Paris* dicitur arcanum Forzani esse.

Odor urinosus, penetrantissimus, nares fortissime feriens; Sapor alcalinus, acerrimus.

Virtus resolvens, irritans.

Usus in tumoribus arthriticis articulationum, * in tumoribus albis. **

Unguentum volatile, quod ex anaticis partibus spiritus salis ammoniaci & olei vitello ovorum subacti ad tumores cysticos & alios frigidos solvendos ut lacteos mammarum & in incipiente panaritio laudatur. ***

Spiritus salis ammoniaci fluidus Seu *Alcali volatil fluor. Der flüssige Salmiakgeist* **** est sal alcalinus e sale ammoniaco ope calcis exstinctæ expulsus.

---

* *Cel.* Albrecht crassos articulorum tumores arthriticos oleo animali Dippellii cum spiritu salis ammoniaci mixto feliciter dissipavit; interne simul dato lacte. *Cel.* Baldinger *Neues Magazin* 1. *B.* 3. *S.* 246. *S.* & *Cel.* Weikard *med. Schriften.* 4. *Stük.* 130. *S.*

** *Von Wy. Beobachtungen über die Heilung der weissen Geschwülste in Samlung für pract. Aerzte.* 5. *B.* 3. *St.* 474. *S.*

*** *Cel.* Weikard *medicinische Schriften.* 1. *St.* p. 249.

**** *Cel.* Sage *Erfahrungen das der flüssige Salmiak-Geist das würksamste Mittel sey.* etc. *Strasburg.* 1778.

Eſt optimum excitans in aſphyctis naribus admotus & ori inditus. Demum in morſu viperæ gallicæ, in ictu inſecti & multa aqua dilutus in ulceribus & tumoribus arthriticis, in ambuſtione &c. laudatur.


SAL VOLATILE SICUM.

Eſt *ſal volatile alcalinum forma ſicca. Trokenes flüchtiges alkaliſches Salz.*

ODOR & SAPOR prioris.

VIRTUS cauſtica, ſi purum cuti applicatur, ſi vero diluatur, tunc.

USUS eſt ut ſpiritus ſalis ammoniaci. Sal cornu cervi in maculis corneæ laudatur. *V. Fel Lucii.*



SALINA NEUTRA.

SAL AMMONIACUS.

Eſt ſal medius ex *acido ſalis & alcali volatili* conſtans. *Salmiak.*

ODOR nullus; SAPOR urinoſus, linguam feriens.

VIRTUS reſolvens, antipituitoſa, antiſeptica, antiſcabioſa.

USUS. Aqua frigidiſſima cum ſale ammoniaco adhuc magis refrigerata efficaciſſimum & unicum eſt fomentum, quod in commotione cerebri vel alius partis, aut viſceris effuſionem humorum,

&

& ſubſequentem ex atonia inflammationem impedit, * aut jam factæ effuſionis reſorptionem procurat.

Gargariſmatis forma cum ſalviæ decocto in angina pituitoſa, & lotionis vel linimenti forma conducit in ſcabie. Fomentis antiſepticis in gangræna, ulceribus putridis, & fiſtuloſis, fomentis reſolventibus, ex menſura una oxycrati & ℥ß ſalis ammoniaci confectis, in ecchymoſi, oedematoſis, cyſticis & aliis tumoribus frigidis additur. Cariei exfoliationem procurat, ſi ei inſpergitur, ſed tegantur partes molles ulceris, ne nimio dolore afficiantur. **

NITRUM.

NITRUM nativum L. Salpeter. Eſt ſal medius ex alcali vegetabili fixo & acido nitri conſtans.

ODOR nullus; SAPOR ſalinus, frigidus, amaricans.

VIRTUS refrigerans, ſolvens.

USUS pro gargariſmate refrigerante & enemate antiphlogiſtico. Additur demum fomentationi frigidæ, quæ ex ▽ communis ℔xxxx, Aceti vini ℔iv, nitri depurati ℥xvj, ſalis ammoniaci crudi ℥viij. conſtat. ***

* *Cel.* SCHMUCKER *Chirurg. Wahrnehm.* 1. *Theil.* p. 153.

** *Cel.* THEDEN *Unterricht für Unterwundaerzte. Berlin.* 1778. p. 326.

*** *Cel.* SCHMUCKER *l. c.* p. 154.

SAL CULINARE.

Muria fontana L. Kochſalz. Sal commune eſt ſal medius ex acido ſalis & alcali fixo minerali conſtans.

Varietas hujus ſalis habetur triplex:

Fontanum Brunnenſalz, ex aqua fontium ſalſorum:

Marinum Meerſalz, ex aqua marina elicitum:

Sal Gemmæ Steinſalz, ex terræ fodinis exſciſſum.

Odor nullus; Sapor ſalſus, proprius.

Virtus reſolvens, antiſeptica. Salis vero cibarii quantitas, quæ eſt infra pondus granorum 30, aquæ unciis duabus ſoluta, putredinem promovet.

Usus. Solutione ſalis puſtulæ aliique morbi cutanei curantur, ſi cutis hac fricetur. Tumores cyſtici & alii eadem ſolutione quandoque reſolvuntur. Additur fomentis, quæ partibus ſugillatis applicantur. *Sal decrepitatus*, aquæ vel maxime bibulus, cruribus, hydropicorum calide applicatus quandoque utilis eſt, at incautus uſus facile exulcerat. Additur ſal commune enematibus ſtimuli eccoprotici cauſa a ʒj ad ℥ß.

SPIRITUS MINDERERI.

Eſt liquor ſalinus ex acido aceti & ſale alcalino volatili conſtans. *Mindereriſcher Geiſt.*

ODOR nullus; SAPOR salinus, amaricans.

VIRTUS resolvens, penetrans.

USUS in tumoribus frigidis, induratis, cysticis, articularibus, sarcocele.

BORAX VENETA.

BORAX Tincal, L. Borax, Chrysocolla est sal medius ex acido boracis & plurimo sale alcalino minerali fixo supersaturo constans.

ODOR nullus; SAPOR obtusus.

VIRTUS abstergens, resolvens.

USUS ad maculas corneæ delendas. Ad oris aphthas curandas.

FORMA: ℞ boracis ʒß, sacchari albi ʒj, aquæ rosarum ℥j. m. f. collyrium. Dosis boracis augeri potest ad ℈ij & ʒj; oculus enim illi assuescit.

Borax cum cremore tartari aqua solutus & melle edulcoratus datur in aphthis oris.

ALUMEN CRUDUM.


ALUMEN nativum L. Alaun. Est sal medius ex acido vitriolico & terra argillacea constans.

ODOR nullus; SAPOR stipticus, dulcescens.

VIRTUS adstringens, stiptica, exsiccans, antiseptica.

USUS. Solutio aluminis in ulceribus fungosis, putridis, in laxitate uvulæ & faucium, in prolapsibus & herniis, & cum albumine ovi decussatum alu-

men in ophthalmiis laudatur. Globulus ex alumine ſciſſus arteriæ læſæ qua ſtipticum imponi poteſt. De *alumine uſto* vid. *Cauſtica*.



TERREA.

LAPIDES CANCRORUM.

Lapides calcarei in thorace *CANCRI Aſtaci L. Krebsaugen.*

ODOR nullus; SAPOR cretaceus.

VIRTUS abſorbens, exſiccans, ſeptica.

USUS ad cicatriſandum inſperguntur ulceribus.

TESTÆ CONCHARUM.

Teſtæ *MYÆ pictorum L.* vel *MYÆ margaritiferæ L. Muſchelſchaalen.*

ODOR nullus; SAPOR cretaceus.

VIRTUS abſorbens, exſiccans, at in rudiorem pulverem contuſarum abſtergens.

USUS. Ad depurandos dentes mucoſos eſt tutiſſimum dentifricium.

OSTRACODERMATA SEU TESTÆ OSTREARUM.

Teſtæ *OSTREÆ edulis L. Auſterſchaalen.*

ODOR nullus; SAPOR cretaceus.

VIRTUS &

USUS prioris.

MATER PERLARUM.

Testa *Mytuli Margaritiferi L. Perlenmutter.*

Odor nullus; Sapor cretaceus.

Virtus absorbens, deterens.

Usus ad *unguentum nihili* ad oculos.

MARGARITA.

Est calculus *Myæ margaritiferæ L. ächte Perle.*

Odor nullus; Sapor cretaceus.

Virtus exsiccans.

Usus ad maculas corneæ.

TESTÆ OVORUM.

Testæ ovorum *Gallinæ domesticæ L. Eyerschaalen.*

Odor nullus; Sapor terreus.

Virtus. In pollinem tritæ exsicccant, in pulverem grossiorem comminutæ abstergunt; *calcinatæ* magis fiunt bibulæ & acriores.

Usus. Pollen ad ulcera cicatrisanda, pulvis ad dentifricia.

OS SEPIÆ.

Est os dorsale *Sepiæ officinalis L. Blackfischbein.*

Odor nullus; Sapor terreus. Indoles calcarea, sale marino aliquantum penetrata, a solis ardore quasi subcalcinata, hinc admodum bibula.

VIRTUS absorbens, exsiccans.

USUS ad pulveres dentifricios, & ad maculas corneæ.

℞. Medullæ ossis sepiæ, sacchari canari aa ℈ij, aloes succotrinæ gr. vj, rad. iridis florent. ʒß. m. f. pulv. subtiliss. *

CRETA ALBA.

CALX *Creta L. Weiſſe Kreide.* Optima est *coloniensis.*

ODOR nullus; SAPOR terreus.

VIRTUS absorbens, exsiccans.

USUS ad *pulverem manualem*, ad *globum pro erysipelate.*

LAPIS CALCAREUS.

CALX *lapidea L. Kalkstein.*

ODOR nullus, SAPOR terreus.

VIRTUS exsiccans.

USUS ad parandam *calcem vivam*, de qua vid. *Caustica.*

LAC LUNÆ.

CALX *Gur L. Mondmilch.*

ODOR nullus; SAPOR cretaceus.

VIRTUS exsiccans.

USUS ad pulverem dentifricium.

OSTEOCOLLA.

TOPHUS *Osteocolla L. Beinwell.* Est radix petrificata.

---

* *Cel.* VOGLER *diss. de maculis corneæ. Göttingæ.* 1778. p. 18.

ODOR nullus; SAPOR terreus.

VIRTUS abſorbens, exſiccans.

USUS. Ad emplaſtra pro fracturis a plebe commendatur.

GLACIES MARIÆ.

NATRUM glaciale L. Fraueneys. Lapis ſpecularis. Marienglas.

ODOR nullus; SAPOR terreus. INDOLES ſelenitica, in aqua non ſolubilis.

VIRTUS abſtergens.

USUS ad pulverem dentifricium.

GYPSUM.

GYPSUM uſuale L. Gyps. Eſt terra calcarea acido vitriolico impraegnata.

ODOR & SAPOR nullus. INDOLES in aqua non ſolubilis, ſelenitica.

VIRTUS incruſtans.

USUS ad maſſam ceraceam pro obducendis peſſariis. *

ALABASTRUM.

GYPSUM Alabaſtrum L. Alabaſter. Eſt terra calcarea minus quam gypſum acido vitriolico ſaturata.

---

* *Cel. LEVRET Kunſt der Geburtshülfe. Leipſig.* 1778. *Theil.* 2. p. 166.

Odor & Sapor nullus; Indoles in aqua non solubilis, selenitica.

Virtus detergens.

Usus ad *unguentum alabastrinum*. Inspergitur etiam tumori podagrico.

CORALLIUM RUBRUM.

Isis nobilis L. rothe Corallen. Est planta zoophyta calcarea.

Odor & Sapor nullus. Indoles calcarea.

Virtus absorbens, exsiccans, detergens.

Usus ad pulverem dentifricium pro sorditie dentium.

CORALLIUM ALBUM.

Madrepora oculata L. weisse Corallen. Est planta lithophyta calcarea.

Odor nullus; Sapor terreus.

Virtus absorbens, detergens.

Usus ad pulverem dentifricium.

BOLUS ARMENA.

Argilla Bolus armena L. armenischer Bolus. Est terra argillacea.

Odor nullus; Sapor nullus. Indoles argillacea.

Virtus obvolvens, exsiccans.

Usus ad exsiccanda ulcera & excoriationes.

BOLUS RUBRA.

Argilla Bolus rubra L. rother Bolus.

Odor nullus; Sapor nullus.

Virtus exſiccans, obvolvens.

Usus ad excoriationes. Ingreditur *globum ad eryſipelas & pulverem ophthalicum.*

BOLUS ALBA.

Argilla Bolus alba L. weiſſer Bolus.

Odor & Sapor boli rubræ.

Virtus eadem

Usus idem.

TERRA SIGILLATA.

Eſt *Argilla Bolus alba* vel *rubra L.* in orbiculos formata & diverſis ſigillis vel figuris notata. *Siegelerde.*

Virtus & Usus bolorum.

TERRA TRIPOLITANA.

Argilla Tripolitana L. Tripelerde.

Odor nullus; Sapor terreus, exſiccans.

Virtus exſiccans.

Usus in intertrigine.

TERRA ANTIPSORA.

Argilla antipſora, * *Raudenerde.*

---

* *Cel.* Odelius *Bericht von einer Erdart, welche Raude und Schäden an Menſchen und Vieh heilet. in Schwed. Abh. 24. B. 163. S.*

Odor nullus; Sapor argillaceus ut putamina ovorum pulverata.

Virtus antiſcabioſa.

Usus. In ſcabie infantum & in aliis pſoræ ſpeciebus externe hæc terra ſicca vel in linimentum redacta bis terve de dic illinitur; etiam interne exigua quantitate datur.

RUBRICA FABRILIS.

Talcum Rubrica L. Röthelſtein.

Odor nullus; Sapor terreus, adſtringens.

Virtus roborans.

Usus. Cum melle ſubacta ad aphthas laudatur.

TALCUM ALBUM.

Mica talcoſa L. Talk.

Odor nullus; Sapor argillaceus. Indoles argillacea.

Virtus coſmetica.

Usus coſmeticus.

ALUMEN PLUMOSUM.

Amianthus plumoſus L. Federweiſs.

Odor & Sapor nullus.

Virtus irritans.

Usus. Irritando in ſcabie retropulſa & in paralyſi applicatur.

LAPIS PUMEX.

Pumex Vulcani L. Bimſenſtein.

Odor & Sapor nullus

Virtus deterens.

Usus ad pulverem dentifricium pro tartaro dentium deterendo.

CRYSTALLUS MONTANA.

Nitrum Cryſtallus montana L. Bergcryſtall.

Odor nullus; Sapor nullus.

Virtus deterens.

Usus ad pulverem dentifricium.

VITRUM.

Vitrum candidum. Feines Glaſ. Eſt corpus pellucidum ex terra ſilicea & ſale alcalino confectum.

Odor & Sapor nullus.

Virtus detergens.

Usus. In pollinem tritum vitrum & anatica parte ſacchari mixtum * ad deterenda leucomata ac pterygia laudatur.

---

* *Cel.* Rich. Mead *monita & præcepta med. Lect.* III. p. 107. pulveris iſtius uſu multos ſanatos vidiſſe affirmat. At vide ſimul *Ill.* Richter *obſerv. chrirurg. faſc. tert.* p. 12.

℞ Vitri candidi ℥ß, mercurii vivi ʒii, ſacchari ℥ß, terantur in mortario, ut f. pulvis ſubtiliſſimus, dein per linteolum trajiciendus & ſic ope penicilli applicandus.

METALLICA.

AURUM.

Aurum nativum L. Gold. Eſt metallum flavum, ponderoſiſſimum, maxime ductile.

Odor & Sapor nullus.

Virtus. Rubiginem non contrahit & admodum ductile eſt metallum. Hinc

Usus eſt ad quædam inſtrumenta chirurgica præſertim ocularia. *Auro foliato* foramen carioſum dentis plumbatur.

ARGENTUM.

Argentum nativum L. Silber. Eſt metallum album, auro levius, ductile.

Odor & Sapor nullus.

Virtus. Rubiginem non contrahit, niſi acido nitroſo tangatur. Ideo capſa argentea pro lapide infernali aſſervando bene interius deauretur.

Usus mechanicus ad quædam inſtrumenta chirurgica, præſertim oris cavo dicata. De *lapide infernali* vid. *Cauſtica.*

CUPRUM.

Cuprum nativum L. Kupfer. Eſt metallum rubrum, perdurum, maxime ſonorum.

Odor proprius, ſi manu teratur; Sapor valde nauſeoſus.

Virtus cupri integri nulla, ſoluti rodens.

Usus mechanicus ad vaſa quædam chirurgica & ad præparationem *viridis æris*, de quo vid. *Cauſtica.*

VITRIOLUM COERULEUM.

Vitriolum Cyprinum L. Blauer Vitriol. Vitriolum de Cypro. Eſt ſal metallicus ex acido vitrioli & cupro conſtans.

Odor nullus; Sapor metallicus, auſterus.

Virtus corroſiva, ſtiptica.

Usus. Globulus ex vitriolo quondam arteriæ læſæ imponebatur. Vitriolo puro loco lapidis infernalis condylomata & aliæ excreſcentiæ tanguntur, ut conſumantur. Vitriolum aqua calcis ſolutum dat aquam vulnerariam pro ulceribus ſarcoticis * & putridis. Vitriolum coeruleum aqua calcis ſolutum conſtituit *aquam Sapphyrinam*, quæ in panno oculi laudatur. Fungus ex vaſe lymphatico læſo excreſcens pulvere vitrioli cærulei facile conſumitur.

---

* *Cel.* Theden *Unterricht für Unterwundaerzte.* p. 334.

STANNUM.

Stannum crystallinum L. *Zinn.* Est metallum album, molle, leve, *flexum* crepitans. Optimum est *anglicanum.*

Odor. Inter manus frictum odorem peculiarem spargit; Sapor nullus.

Virtus mechanica.

Usus ad instrumenta chirurgica: ut ad syringas. Tenuissima *limatura* stanni ad deterenda leucomata corneæ laudatur. *

Forma: ℞. Sacchari candi ℥ij, limaturæ stanni purissimi tenuissimi ʒj, vitrioli comm. gr. iv. m. valde conterantur, donec fiat caeruleus pulvis, cribrandus per linteum tenuissimum & sæpius de die gr. j. infletur oculo. Adhiberi quoque potest cum penicillo exiguo, saliva madido, qui immergitur in hunc pulverem & tam diu maculæ applicetur, donec liquescat.

FERRUM.

Ferrum selectum L. *Eisen.* Est metallum nigrescens, durissimum, magneti adhærens.

Odor proprius; Sapor metallicus.

Virtus roborans.

* Hicce pulvis Magni Boerhaavii arcanum fuit *lib. de morb. oculor. cap.* 10. p. 67.

Usus. *Globuli martiales* ſeu *vulnerarii*, qui ex ferro in acido tartari ſoluto conſtant, imponuntur oxycrato: ſic hoc fomentum reſolvit & ſimul roborat; ad contuſiones & vulnera ſclopetaria imprimis commendatur.

Nigrum ſtratorum ſabulum, ferro ditiſſimum, ad tumores articulares & partes relaxatas roborandas adhiberi poteſt. *

Chalybs, *Stahl*, qui ferrum eſt elatere & duritie auctum, ad inſtrumenta chirurgica acuta adhibetur.

M A G N E S.

Ferrum Magnes L. Magnetſtein. Eſt minera ferri, illud attrahens, ac repellens, mundique polos oſtendens. **

Odor nullus; Sapor terreus.

Virtus anodyna, antiſpaſmodica.

Usus ad *magnetem artificialem*, qui in odontalgia rheumatica, *** in doloribus topicis nervoſis, ****

---

* *Cel.* Malaval in *Acad. de Chirurgie* T. II.

** Vide egregiam *Cel.* Ludwigii *diſſertationem de magnetiſmo in corpore humano. Lipſiæ* 1772. & *Methode des Herrn Docktor Knight's künſtliche Magneten zu bereiten*; vide in *Auszüge aus den beſten Franzöſiſchen periodiſchen Schriften* 2. *B.* p. 287.

*** *Cel.* Glaubreth *diſs. de odontalgia* p. 17.

**** *Cel.* Gesner *Samlung von Beobacht. Nordl.* 1769. *B.* 1. p. 220. in dolore digiti

in diplopia, amaurosi & aliis nervosis oculorum & aurium vitiis adhibetur. *

LAPIS HÆMATITES.

Ferrum Hæmatites L. Blutstein. Est minera ferri.

Odor nullus; Sapor terreus.

Virtus exsiccans, roborans.

Usus. Cum melle tritus in ulceribus adhiberi potest.

COLCOTHAR VITRIOLI.

Est *Vitriolum ferri* ad rubidinem calcinatum. *Vitriol - Colcothar.*

Odor nullus; Sapor adstringens.

Virtus adstringens.

Usus ad ulcera exsiccanda.

TERRA VITRIOLI DULCIS.

Est colcothar vitrioli ab omni salsedine ope aquæ elutum. *Versüsste Vitriolerde.*

Odor nullus; Sapor adstringens.

Virtus exsiccans, roborans, minus quam colcothar adstringens.

Usus ad ulcera exsiccanda.

---

* *Die Wirkung des künstlichen Magnets in einen seltenen Augenfehler von* Weber. *Hannover.* 1767. p. 13.

VITRIO-

VITRIOLUM VIRIDE.

Vitriolum Martis L. Grüner Vitriol. Eſt ſal metallicus ex acido vitriolico & ferro conſtans.

Odor nullus; Sapor adſtringens.

Virtus ſtiptica, roborans.

Usus. Solutio in ulceribus putridis & gangrænoſis eſt utilis, ideo *ſpecies nigras* pro gangræna ingreditur.

ZINCUM.

Zincum mineraliſatum L. Zink Spiauter. Eſt ſemimetallum cinereum, micaceum, tenax.

Odor nullus; Sapor nullus.

Virtus exſiccans.

Usus ad conficienda præparata zincata ut

FLORES ZINCI.

Sunt *zincum* forma lanæ ex fumo zinci accenſi *ſublimatum. Zinkblumen.*

Odor nullus; Sapor terreus.

Virtus exſiccans.

Usus. In ophthalmia & lippitudine ℈j florum in aquæ roſarum ℥j diluitur pro collyrio, demum in ulceribus, in vulneribus ſclopetariis, in intertrigine, in excoriationibus & fiſſuris papillarum inſpergitur.

POMPHOLIX.

Eſt *Zinci ſublimatum* album & ſolidum. *Weiſſes Nichts.* Seu *nihilum album.*

Odor & Sapor nullus.

Virtus exſiccans.

Usus ad unguenta & emplaſtra exſiccantia.

TUTIA.

Eſt *Zinci ſublimatum* griſeum, ſolidum. *Tutia Graues Nichts. Nihilum griſeum.*

Odor nullus; Sapor terreus.

Virtus exſiccans.

Usus ad unguenta exſiccantia & collyria ſimilia.

LAPIS CALAMINARIS.

Zincum Lapis calaminaris L. Gallmey. Eſt *minera terrea zinci. Cadmia foſſilis.*

Odor & Sapor terreus.

Virtus exſiccans.

Usus. Lapis calaminaris *præparatus.*

VITRIOLUM ALBUM.

Vitriolum album L. weiſſer Vitriol. Weiſſer Galizenſtein. Eſt ſal medius metallicus ex acido vitriolico & zinco conſtans.

Odor nullus; Sapor auſterus.

Virtus adſtringens, præſtantiſſimum eſt ophthalmicum.

Forma. ℞. Vitrioli albi gr. j. aquæ roſarum vel ſambuci ℥j. Hujus collyrii aliquoties de die guttulæ aliquot oculo ſunt inſtillandæ.

Usus. In ophthalmiis & obſcurationibus corneæ, in hypopyo & ulceribus corneæ, in ulceribus ſcorbuticis, in ulceribus venereis, præſertim faucium, in exulceratione papillarum;* globulus e Vitriolo denti carioſo inditus odontalgiam ſedat. ** Solutio vitrioli cum melle roſaceo in aphthis oris & angina ſeroſa eſt egregium remedium. ℞. Vitrioli albi ℨß, aquæ roſarum ℥vj. mellis roſacei ℥j, m. f. liquor pro oris elutione. *** Fortis ſolutio vitrioli ad rubidinem calcinati eſt egregium ſtipticum in hæmorrhagia narium.

BISMUTHUM seu MARCASITA.

Vismuthum nativum L. Wismuth. Eſt ſemimetallum rubellum, lamelloſum.

Odor & Sapor nullus.

Virtus exſiccans.

Usus. *Magiſterium marcaſitæ* pro fuco albo adhibetur.

---

* Cel. Rowley *treatiſe on the diſeaſes of the breaſts of women. Lond.* 1773.

** Cel. Weikart *kleine Schriften* p. 216.

*** Cel. Selle *Neue Beiträge zur Natur und Arzney-Wiſſenſchaft. Berlin.* 1782. p. 135. Cel. Herz caſum narrat, in quo aphthæ omnibus medicamentis reſiſtentes & jam ſex hebdomadibus durantes ſolutione vitrioli intra quadriduum curabantur.

ANTIMONIUM.

Antimonium ſtriatum L. Spiesglas, Stibium, eſt ſemimetallum albidum, fibroſum, friabile, ſeu eſt ſubſtantia foſſilis ex ſulphure & regulo ſemimetallico ad æquas partes mixtis conſtans.

Oror & Sapor nullus.

Virtus detergens; capillos nigro colore imbuens.

Usus. Antimonium *crudum* in tenuiſſimum pollinem lævigatum conciliat candelulis chirurgicis firmiorem conſiſtentiam & ſuperficiem valde politam.

CROCUS METALLORUM.

Eſt hepar antimonii edulcoratum & exſiccatum. *Spiesglas-Safran.*.

Odor & Sapor nullus.

Virtus reſolvens, exſiccans, ophthalmica, in enemate evacuans.

Usus. In ophthalmia & aliis oculorum vitiis ejus infuſum forma collyrii applicatur. Ulceribus nimium ſuppurantibus inſpergitur.

Aqua benedicta Rulandi, quæ ex croco metallorum in vino ſoluto paratur, ad uncias aliquot cum aqua diluta in hernis incarceratis forma enematis injicitur.

HEPAR ANTIMONII.

Eſt antimonium baſi alcalina nitri detonatum. *Spiesglasleber.*

Odor & Sapor ſulphureus, ſtercoroſus.

Virtus ſolvens, abſtergens.

Usus. Parantur exinde lavatoria, quibus vitia cutanea curantur.

TARTARUS EMETICUS.

Eſt ſal metallicus ex acido tartari & regulo antimonii conſtans. *Brechweinſtein.*

Odor nullus; Sapor metallicus.

Virtus ſolvens, evacuans.

Usus. *Tartarus emeticus* ad grana quatuor cum tribus unciis aquæ dilutus, forma enematis injectus idem præſtat in herneiis incarceratis, quod aqua benedicta Rulandi. *

PLUMBUM.

Plumbum nativum L. Bley. Eſt metallum lividum, molliſſimum, ponderoſum.

Odor metallicus, peculiaris; Sapor ſimilis.

Virtus adſtringens.

Usus. Lamella *plumbea* imponitur ulceribus fungoſis ut caro excreſcens compeſcatur, & ſcirrho can-

* *Ill.* Richter *Abh. von den Brüchen. 1. B. 195. S.*

croſo, ne tumor veſtimentis irritetur & inflammetur.

Amalgama plumbi, quod plumbum eſt cum mercurio combinatum, forma emplaſtri ad tumores venereos applicatur.

Præparata ex plumbo ſunt:

EXTRACTUM SATURNI.

Eſt plumbum aceto ſolutum & concentratum. *Bleyextract.*

ODOR metallicus, peculiaris; SAPOR ſimilis, dulceſcens.

VIRTUS in forma *pura* adſtringens: In forma *dilutiſſima* eſt antiphlogiſtica, repellens.

USUS extracti puri in verrucis, carne fungoſa.

Aqua vegeto-mineralis ſeu *Aqua alba*, quæ ex ℔j aquæ & ℥j extracti ſaturni conſtat, eſt egregium *Antiphlogiſticum*, quod in omnibus inflammationibus adhiberi ſolet, ut in ophthalmia, angina, panaritio, inflammatione mammarum, hæmorrhoidum, teſticulorum, vulvæ, vulnerum, contuſionum, fracturarum, luxationum &c.

Efficaciorem adhuc hanc aquam deprehendi, ſi cum farina ſeminum lini in forma cataplaſmatis applicetur; ſic dolorem citius ſedat & inflammationem vel facilius reſolvit, aut in benignam ſuppurationem deducit.

MINIUM.

Minium rubrum. Menning, rother Menning. Eſt calx plumbi ad rubedinem calcinata.

Odor nullus. Sapor dulceſcens.

Virtus adſtringens, exſiccans, cum oleo plaſtica.

Usus. Oleum cum minio dat maſſam plaſticam, quæ multorum emplaſtrorum baſis eſt.

LITHARGYRIUM.

Eſt plumbum *ſemivitrificatum*, ſub cupellatione argenti vel auri ſecedens. *Silberglätte.*

Odor nullus. Sapor metallicus, dulceſcens.

Virtus exſiccans, adſtringens.

Usus. Ad præparationem *extracti ſaturni*, variorum emplaſtrorum & *unguenti de lithargyrio*, quod etiam *nutritum* vocatur, & in ámbuſtione datur.

CERUSSA ALBA.

Eſt *calx* plumbi per vapores acidos vegetabiles corroſa. *Bleyweiſs.*

Odor nullus; Sapor terreus, dulceſcens.

Virtus exſiccans, adſtringens, refrigerans.

Usus ad varia emplaſtra & *unguentum album ſimplex*, quod locis excoriatis, ambuſtis, prurientibus proficuum.

PLUMBUM USTUM.

Eſt plumbum cum ſulphure in calcem griſeam liquatum, *gebranntes Bley.*

Odor nullus; Sapor metallicus, dulceſcens.

Virtus exſiccans, adſtringens.

Usus ad varia.

SACCHARUM SATURNI.

Eſt ſal metallicus ex plumbo & acido aceti conſtans. *Bleyzuker.*

Odor nullus; Sapor ſtiptico-dulcis.

Virtus adſtringens, antiphlogiſtica, oculos in morbo varioloſo ab inflammatione & aliis morbis præſervans. *

Usus. Aqua dilutum in ophthalmia & aliis tumoribus inflammatoriis prodeſt, coercet ſcirrhum, ne in cancrum abeat.

Dosis. ℈j in aquæ ℔j diſſolvatur.

---

* *Cel.* Strack *Reſponſum ad quæſtionem de enervando variolarum miaſmate* p. 27. Collyrio ex aqua roſarum ℥ij & ſaccharo ſaturni gran. iij oculi ſæpius de die eluantur & cum linteo humido deligentur. An facies tota hoc collyrio quotidie lota a variolis præſervanda?

Balſamus Saturni, qui eſt ſaccharum ſaturni oleo terebinthinæ ſolutum, in ulceribus ſordidis & cancroſis laudatur.

MERCURIUS VIVUS.

Hydrargyrum virgineum L. Quekſilber. Eſt ſemimetallum in atmoſphæræ calore fluidum, in ſummo frigoris gradu ſolidum, malleabile.

Odor nullus; Sapor metallicus.

Virtus ſolvens, ſialagoga, antiſiphilitica.

Usus. *Unguentum neapolitanum*, quod ex mercurio vivo & axungia porcina conſtat, laudatur in omni morbo venereo topico: ut topho, bubone, ulcere, in lue venerea univerſali, de quibus vide meam *Doctrinam de morbis venereis.* Convenit demum unguentum neapolitanum in intumeſcentia hæmorrhoidum coecarum, ſcabie, tetano, * phtyriaſi capitis, pubis, vel alius partis.

Emplaſtrum mercuriale in callo ulcerum, vel plantæ pedis, in clavis digitorum pedis, in tumore rheumatico genu vel alius articuli, in ſpina ventoſa occulta, & aperta laudatur:

---

* *Clar.* TRNKA *Comment. de tetano* p. 375

MERCURIUS GUMMOSUS.

Eſt *mercurius vivus* mucilagine gummi arabici ſubactus. *Gummigtes Quekſilber.*

Odor nullus; Sapor metallicus.

Virtus antiſiphilitica.

Usus. Forma linimenti ad morſum viperæ Rhedianæ tentetur. *

Mercurius gummoſus cum *lacte* coctus forma fomenti vel balnei ad phymoſim, ophthalmiam, ozoenam & forma gargariſmatis ad anginam veneream adhiberi poteſt. In gonorrhæa & fluore albo injici ſolet.

MRRCURIUS ALCALISATUS.

Eſt mercurius vivus cum lapidibus cancrorum præparatis contritus, *alkaliſirtes Quekſilber.*

Odor nullus; Sapor terreus.

Virtus detergens & exſiccans.

Usus. Ulceribus difficulter ſanandis inſpergitur. **

---

* *Cel.* Laurenti *ſynopſis reptilium.* p. 210.

** *Ill.* Acrel *Ch. Vorfälle* p. 330. Ex tribus partibus mercurii & quinque partibus lapidum cancrorum conſtat.

MERCURIUS DULCIS SEU CALOMEL.

Eſt calx mercurii pauco acido ſalis junctus. *Verſüſtes Quekſilber.*

Odor nullus; Sapor terreus.

Virtus abſtergens, ſubcorroſiva, reſolvens, anthelminthica.

Usus. Forma *pulveris* inſpergitur ulceribus verminoſis & venereis caſeoſis. *

Morbos venereos curat, ** ſi quotidie gr. iij. cum ſaliva humectata ope digiti vel apicis linguæ internæ buccarum ſuperficiei infricentur.

Solutio applicatur ulceribus, injicitur ſinibus fiſtuloſis. ***

Cum *axungia* in linimentum redactus reſolvit bubones, tophos alioſque tumores.

In maculis corneæ ſequenti modo præſcribitur: ℞ Aloes, mercurii dulcis ana gr. iij. ſacchari candi ʒij. m. f. pulv. ſubtiliſſimus oculo cum penicillo madido applicandus ****

---

* *Ill.* Rosenstein *von den Kinderkrankh. Göttingen.* 1781. p. 704. Ulcera caſeoſa ab inſperſo mercurio dulci intra 24 horas depurantur, ſi venereæ ſunt indolis, remanent vero in eodem ſtatu, ſi venerea non ſunt.

** *Cel.* Clare *an eſſay on the cure of abſceſſes by cauſtic &c. London* 1779. Vide *Ill.* Richter *Chir. Bibl.* 5. *B.* 3. *St.* 397. *S.*

*** Falck l. c.

**** *Ill.* Boerhaavii *de m. ocul.* p. 66.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

Eſt calx mercurii ex acido ſalis præcipitata. *Weiſſer Quekſilber Präcipitat.*

Odor nullus; Sapor nullus.

Virtus corroſiva, minus vero quam præcipitati rubri.

Usus in ulceribus & bubonibus venereis, in ſcabie, in maculis & varicibus corneæ. *

Unguentum ad ſcabiem, quod ex ℥vj unguenti pomadini & ex ℥ß merc. præcip. albi conſtat, ſcabiem & alios morbos cutaneos egregie ſanat.

Unguentum Norfordii ad cancrum, quod ex ℥j ſucci inſpiſſati & ſeminum ricini, ex plumbi uſti & mercurii albi aqua calcis præcipitati aa ℈j conficitur, cancrum curare dicitur.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

Eſt calx mercurii ex acido nitri præcipitata. *Rother Quekſilber Präcipitat.*

Odor nullus; Sapor nullus.

Virtus corroſiva, dilutus vero abſtergens ulcera, reſolvens tumores duros.

Usus in morbis venereis, & in maculis corneæ.

Balſamum mercuriale, quod ex ℥j unguenti baſiliconis, ℥ß unguenti neapolitani & ʒij præcipitati

* *Cel.* JANIN *Beobacht.* p. 396. tale unguentum ophthalmicum cum præcipitato albo confectum recenſet.

rubri conficitur, egregie ſanat ulcera venerea lardacea, fiſtuloſa, curat tineam capitis & reſolvit bubones venereos atque tophos.

Balſamum ophthalmicum rubrum, quod pterygia, leucomata & maculas corneæ, ophthalmiam inveteratam delet, ſequenti modo paratur. ℞. Butyri recentis inſulſi ℥iij. ceræ albæ ℥ß. liquefactis adde mercurii præcipitati rubri ʒiiß, tutiæ præparatæ ʒj, camphoræ in oleo ovorum ſolutæ gr. xlv. Hujus balſami ter de die particula lentis magnitudine oculo illinenda.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Eſt ſal metallicus ex mercurio & acido ſalis conſtans.

Odor nullus; Sapor deterrimus, metallicus, nauſeoſus.

Virtus cauſtica, at multa aqua abſtergens, reſolvens, antivenerea, coſmetica.

Usus. *Solutio ſublimati tenuis*, quæ ex ℔j aquæ ℥j mucilaginis gummi arabici & grano uno & ſemis ſublimati corroſivi conſtat, egregium eſt remedium, ſi in gonorrhæa urethræ, in fluore albo vaginæ, in ozoena naribus injiciatur.

Forma fomenti ulceribus, bubonibus, tophis venereis, forma gargariſmatis ulceribus venereis faucium applicatur.

Solutio ſublimati fortis, quæ ex ℥ij aquæ vel eſſentiæ maſtichinæ & granis ſex mercurii ſubli-

mati corrosivi constat, ulcera cancrescentia inguinum, & ulcera cariosa venerea sanat. Nec non pessima ulcera faucium, si hac solutione bis vel ter de die penicillentur, curari possunt.

Aqua ophthalmica sublimati ex grano uno sublimati & ℥iv aquæ destillatæ constat. In ophthalmia venerea, in maculis corneæ & in pruritu palpebrarum a causa etiam non venerea, * nec non in tinea capitis laudatur. **

Aqua phagedænica, quæ ex ℔j aquæ calcis & ʒj sublimati constat, ad ulcera sananda egregium est vulnerarium, exceptis ulceribus scorbuticis. Quidam demum sublimatum in balneo solvunt & tali balneo mercuriali venereos curant. ***

De aqua phagedænica cum cicuta, quæ in cancro faciei efficax est *V. Cicuta.*

CINNABARIS.

Est mercurius firmissime cum sulphure combinatus. *Zinnober.*

Odor nullus; Sapor nullus

---

* *Samlung für pract. Aerzte. 6. B. 2. St. 371. S.*

** *Ill.* ROSENSTEIN *von Kinderkrankh. Göttingen.* 1781. p. 692. Spiritum mercurialem pro lotione suadet; ego etiam aquosum vidi in tinea efficacem.

*** *Cel.* BEAUME *chymie experimentale* Vol. 2. a *Paris* 1772.

Virtus nulla, ſi cum unguento vel emplaſtro applicetur. *Fumus* autem *cinnabarinus*, in quo cinnabaris in ſua principia conſtitutiva dirimitur, reſolvens & antivenereus eſt.

Usus. *Fumus cinnabarinus* toti corpori applicatus ad curandam luem veneream laudabatur. * At ſulphuris acidum ex cinnabri vi ignis elicitum & incaute pulmonibus hauſtum ægrotos ſuffocaſſe experientia conſtat; abſorptus vero mercurius cito ſalivam movet. Interim fumus cinnabarinus topicus caute applicatus in ozoena venerea, ulceribus, tophis & tophis venereis obſtinatis, bonum quandoque præſtat effectum, ** ut ipſe vidi.

Dosis. ℈j cum anatica portione carbonis tiliæ mixtus ope infundibuli ad partem ſemel vel bis de die applicatur. Poteſt etiam mercurius dulcis pro fumo adhiberi.

ÆTHIOPS MINERALIS.

Eſt mercurius laxe cum ſulphure combinatus. *Mineraliſcher Moor.*

Odor nullus. Sapor ſulphureus.

---

* *Cel.* Ponykra *de Anathymiaſi cinnabaris. Argentorati* 1780.

** *Cel.* Von Horne *Abh. von den verſchiedenen Methoden das Quekſilber in den veneriſchen Krankh. zu gebrauchen. Leipſig.* 1782. p. 135.

VIRTUS antivenerea, antiſcabioſa.

USUS. Ulceribus venereis inſperſus pus ſanioſum emendare dicitur.

CAUSTICA.

OLEUM VITRIOLI.

Eſt *acidum vitrioli concentratum*, *Vitriolöl.*

ODOR peculiaris; SAPOR acidiſſimus, cauſticus.

VIRTUS cauſtica, ſanguinem coagulans, vaſa contrahens.

USUS ad deſtruendam cariem & excreſcentias fungoſas. Ad *liquorem ſtipticum* pro ſiſtendis hæmorrhagiis.

SPIRITUS SALIS CONCENTRATUS.

Eſt *acidum ſalis concentratum. Concentrirter Salzgeiſt.*

ODOR croceus; SAPOR acidiſſimus, cauſticus.

VIRTUS cauſtica.

USUS ad deſtruendam cariem & excreſcentias. Spiritus ſalis cum dupla doſi unguenti alicujus ſubactus tiniæ capitis illinitur. *

* ROSA *diſs. de hyſteritide. Budæ* 1782. p. 150. ubi mea cum ſpiritu ſalis inſtituta experimenta recenſentur.

SPIRITUS

SPIRITUS NITRI FUMANS.

Eſt *acidum nitri concentratum. Rauchender Salpetergeiſt.*

Odor peculiaris; Sapor acidiſſimus, cauſticus.

Virtus cauſtica.

Usus. Ad cariem & excreſcentias deſtruendas ope penicilli applicatur.

LIQUOR BELLOSTI.

Eſt ſolutio mercurii in dupla portione ſpiritus nitri fumantis. *Belloſtiſcher Liquor.*

Virtus cauſtica.

Usus. Ad deſtruandam cariem locus carioſus ſæpius de die illinitur vel plumaceolo humore madido tegitur. Continuatur, donec pars carioſa deſtructà invenitur, ne ſanam oſſis ſubſtantiam deſtruat.

Solutio liquoris Belloſti, quæ ex ℥j aquæ calcis recenter paratæ & guttis 6 liquoris Belloſti conſtat, eſt egregium remedium in cancro faciei, * in ulceribus phagadænicis, chronicis, in herpete ** & in gangræna.

* *Cel.* Hagen *Wahrnehmungen. Mitau.* 1772. p. 12. & 80.

** *Cel.* Janin *Beobacht. über das Auge und deſſen Krankheiten. Berlin.* 1776. p. 293.

OLEUM CAMPHORÆ CAUSTICUM.

Eſt camphora in ſpiritu nitri fumante ſoluta,* *Etzendes Campheröl.*

Odor camphoraceus; Sapor cauſticus.

Virtus cauſtica.

Usus in ulcere fungoſo & ſcrophuloſo, ſordido, in excreſcentiis, polypo, verrucis. **

ALUMEN USTUM.

Eſt alumen igne calcinatum. *Gebrannter Alaun.*

Odor nullus; Sapor valde ſtipticus.

Virtus adſtringens, leniter cauſtica.

Usus ad carnem fungoſam ulcerum & vulnerum & quæ in umbilico infantum oritur, conſumendam.

ARSENICUM ALBUM.

Arsenicum nudum L. weiſſer Arſenik, Rattengift. Eſt ſemimetallum ex phlogiſto & calce acida propriæ indolis conſtans.

Odor nullus, accenſi vero alliaceus; Sapor nullus.

Virtus cauſtica, atrociſſimum venenum, etiam ſolūmodo externe applicatum. Vide *Toxicologiam.*

---

* *Cel.* Janin l. c. p. 398.

** Foeminam, cui 18. verrucæ in manubus erant, intra 3. ſeptimanas illitu verrucarum cum oleo camphoræ cauſtico curavi.

Usus. *Solutio* arſenici albi ad cancrum laudatur: * at recentiora experimenta bonum effectum non confirmant. * *

Forma. Aquæ fontanæ ℔j, extracti cicutæ ℥j, extracti ſaturni iij, laud. liquid. ʒj, arſenici albi gr. x. m. ſ. mane & veſperi deligetur cancer.

ARSENICUM CITRINUM.

Eſt *Arsenicum* ex una ſulphuris & decem arſenici albi partibus ope ſublimationis paratum. *Gelber Arſenik.*

Odor nullus, accenſi vero ſulphureo-alliaceus. Sapor nullus.

Virtus cauſtica, anticancroſa

Usus in cancro. Exiguæ lamellæ ex arſenico flavo ulceri cancroſo imponuntur, donec omne cancroſum conſumatur, at dolor, qui inde excitatur, atrociſſimus eſt. * * *

---

* *Cel. le* Febure *remedé éprouvé pour guérir radicalement le cancer occulte & manifeſte ou ulceré. à Paris* 1775. & *Ill.* Richters *Ch. Bibl.* 3. *B.* 3. *St.* p. 482.

* * *Cel.* Mezgers *vermiſchte mediciniſche Schriften* 1. *B.* p. 177. *Cel.* Richter. *Ch. Bibl.* 5. *B.* 536.

* * * *Schwed. Abh. für das Jahr* 1778. *Cel.* Rönnow hac methodo viginti cancros tum in labiis tum in mammis feliciter curaſſe, ait, hinc arſenicum acrimoniæ cancroſæ verum eſſe antidotum & non ſolum vi cauſtica cancrum deſtruere opinatur. vid. *Ill.* Murray *Med. Prakt. Bibl.* III. *B.* 3. *St.* p. 383.

AURIPIGMENTUM.

Pyrites Auripigmentum L. Operment. Eſt arſenicum multo ſulphure mineraliſatum.

Odor nullus; Sapor ſulphureus.

Virtus abſtergens.

Usus ad ulcera cacoeta, rhagades manuum, hirſutiem.

Solutio auripigmenti ut *Collyrium Laufranci* ad ulcera cancroidea faucium laudatur.

Linimentum depilatorium, quod ex auripigmento & calce viva conſtat, ad pilos extirpandos adhibetur.

Unguentum digeſtivum *cum auripigmento* mixtum ad tineam unguium; ad rhagades manuum vel pedum vidi utile.

LAPIS CAUSTICUS.

Lapis cauſticus; Etzſtein. Eſt ſal alcalinus fixus materia cauſtica calcis valde ſaturatus.

Odor nullus; Sapor cauſticus, lixivioſus.

Virtus cauſtica, eſcharotica, partes animales ſolvens in tabum, vegetabilia relinquens intacta *.

* *Ill.* Van Swieten *Comment.* T. IV. p. 380. Aurum, quod veſtibus ornandis adhibetur, ex ſerico filis aureis involuto conſtat: ſi tale aurum linteo incluſum in lixivio alcalino decoquitur, ſic omne ſericum diſſolvitur, & aurum purum vel potius argentum auro obductum, purum manet, nec linteum ex vegetabili materia confectum patitur quid damni, dum ſericum, animale productum, deliqueſcit totum.

Usus in aperiendo abſceſſu, vel bubone indurato, in hydrocele evacuanda, * in carie, ** in polypo. ***

Multa aqua dilutus ſolvit tumores podagricos ſi lintea hac ſolutione madida imponantur. *)

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS.

Spiritus Salis ammoniaci cauſticus, Etzender Salmiakgeiſt. Eſt alcali volatile materia cauſtica calcis impraegnatum.

Odor urinoſus, penetrantiſſimus. Sapor ſimilis.

Virtus cauſtica.

Usus ad conſumendum ſaccum tumorum cyſticorum.

LIXIVIUM SAPONARIORUM.

Lixivium Saponariorum Seifenſiederlauge. Eſt alcali vegetabile fixum materia cauſtica calcis impraegnatum & aqua dilutum.

Odor nullus; Sapor alcalinus, deter, corrodens.

Virtus cauſtica.

---

* *Cel.* Else *on the cure of the Hydrocele* in *Ill.* Richters *Ch. Bibl.* 1. *B.* 1. *St.* 159.

** *Ill.* Acrel *Chirurg. Vorfälle* 1. *B.* p. 17. lapidem cauſticum Pariſienſem, qui non adeo facile diffluit, cum fructu adhibet.

*** *Cel.* Blochis *Bemerk.* p. 133.

*) *Ill.* Van Swieten l. c. p. 381.

Usus. In tumoribus terreis podagricis ſolvendis, ut ſolutio lapidis cauſtici adhibetur.

LIQUOR NITRI FIXI.

Liquor Nitri Fixi, Fixer Salpeter Liquor. Eſt alcali vegetabile fixum e nitro elicitum.

Odor nullus; Sapor lixivioſus.

Virtus cauſtica.

Usus. Ad verrucas, clavos pedum, & calloſitates ulcerum exſtirpandas adhibetur.

BUTYRUM ANTIMONII.

Butyrum Antimonii. Spieſglas Butter. Eſt acidum ſalis regulo antimonii impraegnatum.

Odor croceus; Sapor acidus, cauſticus.

Virtus cauſtica.

Usus ad delendos callos ulcerum; ad ſtaphyloma corneae diſſipandum ope penicilli corneae quotidie illinitur, & ſtatim iterum injectione lactis tepedi abluitur. *

---

* *Cel.* Janin *Beobacht. über das Auge und deſſen Krankh.* p. 348. & *Ill.* Richter faſc. obſer. II. p. 122. Etiam ego jam ter in noſocomio meo practico butyro antimonii ſtaphyloma corneae feliciter curavi, rediit quidem cornea in ſuum conſuetum ſitum, at opacitas ejus non evanuit.

VITRIOLUM CUPRI.

Vitriolum Cyprium L. Blauer Vitriol. Est sal metallicus ex cupro & acido vitrioli constans.

Odor nullus; Sapor metallicus, austerus.

Virtus corrosiva, stiptica.

Usus. Excrescentiæ & condylomata vitriolo cupri tanguntur, ut consumantur.

ÆRUGO.

Ærugo seu *Aes Viride, Grünspan.* Est calx viridis, semisalina, ex cupro & acido vegetabili constans.

Odor nullus; Sapor nauseosus, metallicus.

Virtus corrodens, abstergens.

Usus. *Aqua viridis Hartmani*, quæ ex vini albi ℔ij, viridis æris & aluminis aa ℥ß, mellis ℥j constat, in ulceribus malignis & lardaceis oris & faucium, in decubitu gangræno∫o, * & in exuvia unguium ** est egregium medicamentum.

Unguento ex ʒß æruginis & ℥ij axungiæ porcinæ confecto atque capiti applicato tinea curabatur. ***

---

* *Cel.* Mertens *vom Faulfieber und der Pest.* p. 274.

** *Cel.* Baldinger *Neues Magazin.* 3. *B.* 1. *St.* p. 26.

*** *Cel.* Duncan *Krankengeschichten.* p. 120.

Unguentum ægyptiacum ex oxymele & ærugine conſtans in ulceribus ſordidis laudatur.

LAPIS INFERNALIS.

Lapis infernalis, *Höllenſtein.* Eſt ſal metallicus ex acido nitri & argento conſtans.

Odor nullus; Sapor deterrimus, cauſticus, metallicus.

Virtus cauſtica, ſed multa aqua ſoluti roborans, exſiccans.

Usus ad carnem fungoſam, ad nævos maternos * exſtirpandos.

Solutio ex ʒß lapidis in ℥ij aquæ ſoluti & dein octo unciis aquæ diluti eſt egregium remedium roborans in fiſtula lachrymali, ſi per puncta lachrymalia injiciatur. ** Demum in ulceribus & fiſtulis exſiccandis adhibetur.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Mercurius Sublimatus Corrosivus. Etzender Quekſilber ſublimat. Eſt ſal metallicus ex mercurio & acido ſalis conſtans.

---

* *Cel. De* Wasserberg nævum in frontis medio hominis 40. annorum, medium circiter cruciferum magnitudine æquantem lapide infernali in acido nitri ſoluto perfecte curavit. *Ill. De* Haen *prælect.* T. v. p. 144.

** *Cel.* Janin *Beobachtungen über das Auge.* 593.

Odor nullus; Sapor metallicus, acerrimus, nauseosus, ingratissimus.

Virtus caustica, durissimum fungum cancrosum in tabum sensim corrodens.

Usus. Ulceribus fungosis inspersus facile absorbetur & convulsionibus aliisque symptomatibus * necat, facilius enim ob indolem salinam quam præcipitatum rubrum, cui natura magis calcea est, absorbetur. Vidi tamen tuberculum fungosum in sterno cartilagineæ duritiei & crancrosæ indolis insperso sublimato fuisse intra aliquot dies consumptum ac dein sanatum, quod nec præcipitato rubro, nec lapide infernali, nec aliis causticis consumi potuit.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

Mercurius Præcipitatus Ruber, *rother Quecksilberpräcipitat.* Est calx mercurii ex acido nitri præcipitata.

Odor nullus; Sapor nullus.

Virtus caustica at minus quam sublimati.

Usus. Pulvis ex alumine usto & mercurio præcipitato rubro ulceribus sarcoticis inspergitur.

---

* *Cel.* Pibrac in *Abhandl. der K. Academie der Chirurgie* 4. *B.* p. 124.

CANTHARIS.

Meloe vesicatorius L. Spanische Mücke, Fliege.

Odor & Sapor piceus, deterrimus.

Virtus irritans, rubefaciens, vesicans, exulcerans *absorpta* resolvens, stranguriam inducens, vim vitalem vasorum augens. *

Usus. *Pulvis* inspergitur vulneribus a cane rabido inflictis ** & ulceribus epulotis.

Tinctura cantharidum tumores albos & rheumaticos articulationum resolvit, clavos digitorum pedis & luxationes spontaneas a laxitate ligamentorum ortas curat, *** nec non membra paralytica. ****

Unguentum cantharidum ad fluxum ex ulcere vesicatorio vel alio promovendum, ad cystidem in tumore cystico separandam adhibetur.

Emplastrum ad fistulam callosam forma torundæ applicatur. Resolvit tumores rheumaticos, & albos articulationum, bubones venereos, atque scirrhos. Evacuat tumores oedematosos & lacteos. Abigit cla-

* *Cel.* FORSTEN *disquis. cantharidum. Argentorati.* 1776.

** *Cel.* SCHMUKER *Chirurg. Wahrnehm.* 2. *Th.* 544. *S.*

*** *Cel* BROMFIELD *Chirurg. obser. Lond.* 1773.

**** *Sammlung für pract. Aerzte* 6. *B.* 1. *St.* 184. *S.*

vos pedum & herpetem* curat. Offi facro impofitum veficæ paralyfim, atque regioni pubis applicatum folvit fæpe retentionem urinæ: lumbis affixum ifchuriam renalem curat. Imponitur membris paralyticis ipfis, in angina collo, in ophthalmia, amaurofi & odontalgia nuchæ vel temporibus vel retro aures affigitur. In tinea capitis retropreffa rafo capiti applicatur.

Stranguria, quæ cantharidum applicationem fequitur emulfione camphorata interne data & emplaftro albo camphorato loco exulcerato impofito curatur.

GUMMI EUPHORBII.

EUPHORBIA officinarum L. ftillat hanc gummirefinam. *Euphorbium.*

ODOR vix ullus; SAPOR primum nullus, dein fauces & linguam ut mille acus pungens, inhærens. INDOLES. Pars gummofa fere æqualis eft refinofæ, hinc in aqua & fpiritu vini pro parte folubilis.

VIRTUS acris, irritans, inflammans.

USUS *tincturæ* eft in carie. Alii in equorum fcabie commendant.

---

* *Cel.* BLOCHS *Medic. Bemerk. Berlin.* 1774. p. 97.

CALX VIVA.

Lapis calcareus ustus, *ungelöschter Kalk.* Est terra calcarea materia caustica ignis impraegnata.


Odor nullus; Sapor terreus, causticus.

Virtus caustica, erodens.

Usus. Calx viva cum melle in formam cataplasmatis redacta in dolore fixo rheumatico miraculi adinstar dolorem auferre dicitur. *

Pasta sive *Linimentum ad naevos*, quod ex saponis nigri & calcis vivae anaticis partibus conficitur, ope emplastri ad naevi magnitudinem excissi applicatur: sic intra 12 horas in escheram transit, quae succedente suppuratione tandem secedit.

Pasta depilatoria seu *Linimentum psylotrum*, quod ex calce viva constat & auripigmento, ad pilos exstirpandos adhibetur. Vide de his formulis *Pharmaciam chirurgicam.*



CALIDA.

Medicamenta, quae igneo principio vel solo calore agunt.

* *Ill. De* HAEN *praelectiones in* BOERHAAVE *instit. pathol.* T. v. p. 507.

CALOR CARBONUM ARDENTIUM.

Calor e carbonibus ardentibus promanans & parti morbosæ applicatus nuper pro remedio externo adhiberi cepit.

Virtus. Continet materiem caloris cum aëre fixo impraegnatam. *Resolvit* humores in tumore, vel labiis ulcerum antiquorum stagnantes. *Absorbet* ex ulcere humiditatem putridam & superfluam. Aere fixo *resistit* putredini. *Excitat* quandoque levem inflammationem, quam benigna suppuratio excipit, *sanat* exsiccando.

Usus in ulceribus antiquis, callosis, induratis, fungosis, cancrosis. *

CALOR RADIORUM SOLARIUM.

Focus radiorum solarium ope lentis vitreæ convexæ parti morbosæ applicatus.

Virtus exsiccans, resolvens.

Usus in ulceribus, in cancro labiorum. **

---

* *Abhandl. der Akademie der Chirurgie. B.* v. p. 146. & *Ill.* Richter *Chir. Bibl.* 3. *B.* 1. *St.* 56. *S.*

** *Histoire & Mémoires de la Société royale de Médecine.* T. 1. Cancer labii inferioris mediantibus radiis lentis vitreæ sanatus, & plurium ulcerum curatio undulatione radiorum vitri convexi applicatorum recensetur.

SCINTILLA ELECTRICA.

Eſt ignis electricus parti cuidam noſtri corporis applicatus. *

ODOR ſulphureus vel potius phoſphoreus; SAPOR acidus.

VIRTUS commovens ſyſtema nerveum, vaſculoſum, & muſculoſum. Reſolvens & movens humores ſtagnantes. Pulſum incitans, menſtrua movens, augens perſpirationem.

USUS in tumoribus induratis, odontalgia, amauroſi, ** ſurditate, paralyſi, pernionibus, *** tumoribus ſcrophuloſis ſuppuratione difficili, oedemate, rheumatiſmo, nodis podagricis, lapſu palpebræ ſuperioris, **** aphonia, ***** anchyloſi a contractura vel tumore articulari. ******

---

* *Cel.* CAVALLO *Verſuch über die Theorie und Anwendung der mediciniſchen Elektricität. Leipzig.* 1782.

** *Med. Bemerk. einer Geſellſchaft von Aerzten in London.* VI. *B.* p. 1.

*** *Journal des ſavans.* 1748.

**** *Acta Elect. Mogunt.* 1717.

***** De omnibus his morbis obſervationes collectæ inveniuntur in *Cel.* KRÜNIZ *Verzeichniſz der vornehmſten Schriften von der Electricität.* 1769. & *Auszüge aus den beſten Franzöſiſchen Schriften.* 3. *B.* p. VI. & in *Cel.* CAVALLO libro mox citato.

****** *Cel.* LENTIN *obſerv. med. faſc.* I. *Lipſiæ.* 1764.

Periculosa est electrisatio nimia dosi exhibita, plethoricis, senibus, infantibus, & ægrotis febre, vel sanguifluxu laborantibus.

MOXA.

Est torunda ex lanugine *ARTEMISIÆ vulgaris orientalis L.* facta, quæ loco inurendo affigitur, scintilla accenditur & comburi permittitur. *

VIRTUS. Moxæ calor profunde in partes molles penetrat, humores stagnantes volatilisat, resolvit, loco movet, fibras & vasa ab initio relaxat, dein siccat.

USUS. Arthritici & podagrici tumores, atque rheumatismi chronici a Japonensibus sic curantur. Quandoque ulcera sanatu difficilia remanent. Etiam dolor dorsi a lapsu ortus moxa evanuit. **

DOSIS. Imbecillibus tres, robustis vero a 10. ad 20 moxæ adhibentur.

CAUTERIUM.

Est ferri igniti applicatio ad partem aliquam nostri corporis.

VIRTUS. *Primus* gradus inflammat, *secundus* siccat, *tertius* in gangrænam, *quartus* in carbonem siccam mutat partes tactas.

---


* *Cel.* HOOKES *philos. Experim. and observat.* p. 73.

** *Cel.* BURGUIS *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 9. p. 290.

Usus. *Veteres* ignitum admovebant ferrum in carie, exoſtoſi, arteria ſauciata, odontalgia carioſa, fiſtula lachrymali, ſphacelo, cancro, polypo, carne fungoſa, verruca, callo fiſtularum, vulnere a cane rabido vel vipera venenata inflicto, & in trichiaſi.

At cum *Recentiores* tutiora his malis medendis poſſideant remedia, ac cum ferrum ignitum ſit valde doloroſum atque ſimul periculoſum remedium ob ignis calorem profunde in partes penetrantem, nec cancrum, ſphacelum, aut hydrophobicum morſum curet, hinc cauteria in chirurgia recentiori fuere fere penitus abolita.

Cauterium *cranio* adhibitum lethalem cerebri inflammationem cauſat. *



F R I G I D A.

Medicamenta, quæ plurimam partem mediante frigore, quod continent, agunt, in hanc claſſem pertinent.

A Q U A F R I G I D A.

A Q U A communis naturalem frigoris gradum habens. *Kaltes Waſſer.*

---

* *Ill. de* H A E N *rat. med.* T. VI. vel *Von* H A E N *Heilungsmethode Leipzig* 1781. 3. *B.* 166.

Odor

Odor nullus; Sapor aquoſus, frigidus.

Virtus. Vaſa & fibras irritat & contrahendo roborat, humores repellit, abſorbendo materiam caloris refrigerat.*

Usus. Applicatio aquæ frigidæ

Ad *ſanguifluxum* ſiſtendum in hæmorrhagia narium, uterina, vulnerum, in ſynoviæ fluxu e vulnere vel ulcere articulari coercendo.

In *commotione* cerebri, medullæ ſpinalis vel alius partis cum vel ſine effuſione ſanguinis,** in inſolatione capitis vel alius partis.***

In *diſtorſione* pedis, vel manus, in luxatione repoſita, in contuſione acetabuli femoris, in fractura repoſita, in contuſione quacunque, in doloribus a fractura ſanata remanentibus.

In *ulceribus* laxis, oedematoſis & ſcrophuloſis, in excoriatione aurium. ****

---

* Vide egregiam *diſſert. Cel.* Dauter *de uſu aquæ frigidæ externo, topico. Göttingæ.* 1780. p. 5.

** *Cel.* Schmuker *Ch. Wahrnehm.* 1. *B.* p. 144. Unicum in hoc affectu eſt remedium. Vid. *Sal ammoniacum.*

*** *Cel.* Tissot *Avis au peuple, à Paris* 1776 p. 176.

**** *Cel.* Schmuker *Ch. Schrift.* 1. *B.* p. 229.

In iridis, ani,* vaginæ & uteri *prolapsu*, in diastasi pelveos, in laxitate articuli.

In herniis incarceratis, ** in cirsocele. ***

In ambustione, in pernione, in incipiente inflammatione & in chronica inflammatione quacunque, in inflammatione cruris a clavi pedis excisione, **** in erysipelate chronico, ***** in tumoribus oedematosis, podagricis & rheumaticis, in podagra retrograda ad caput, pulmones vel alias partes, ****** in hæmorrhoidibus tumidis.

In gangræna a gelu, decubitu, febre putrida.

In ischuria, enuresi, & diabete, in surditate, aphonia & raucedine chronica, in memoriæ debilitate, in paralysi *******

In oculorum inflammatione incipiente, in chronica, in amaurosi, ******** aliisque oculi morbis ab

---

* *Cel.* SCHMUKER *Ch. Schrift.* 2. *B.* p.

** *Ill.* RICHTER *von den Brüchen. T.* I. *Cap.* XVII. *Cel.* THEDEN *Neue Bemerk. und Erfahr.* 1776. *Berlin.* p. 97. & *Cel.* SCHMUKER. *Ch. Schrift.* 2. *B.* p. 122.

*** *Ill.* RICHTER *observ. chir. fasc.* II. *Cap.* II.

**** *Cel.* THEDEN *Neue Bemerk. Berlin.* 1771. p. 143.

***** *Fränk. Saml.* 5. *B.* p. 44.

****** *Cel.* BLOCH *med. Bemerk.* p. 54.

******* *Cel.* SCHMUKER *Ch. Wahrn.* T. I. p. 156.

******** *Cel.* NOOTNAGEL. *diss. de amaurosi* in *Ill.* BALDINGERI *sylloge.* T. III. p. 177.

atonia vel paralyſi ortis, ad ſervandos oculos ſub morbo varioloſo, in prolapſu palpebræ ſuperioris, in animi deliquiis demum adſperſio faciei cum aqua frigida juvat.

Balneum Frigidum laudatur in tumoribus podagricis, in rhachitide, in ſcorbuto, in gelatione totius corporis, in hydrophobia, in prolapſu uteri, vaginæ, ani.

N I X.

Eſt aqua gelu in flocos ſeu cryſtallos glaciales mutata. *Schnee.*

Virtus eadem, at efficacior quam aquæ frigidæ.

Usus. Ad partes gelu peruſtas fricandas adhibetur, ad hæmorrhagiam narium effrenem fronti imponitur.

G L A C I E S.

Eſt aqua gelu in maſſam ſolidam mutata. *Eis.*


Virtus refrigerans, congelans.

Usus. Ad coërcendam narium hæmorrhagiam * fronti applicatur, ad aneuriſmata, ** ad hernias incarceratas laudatur: at congelando humores no-

* *Cel.* Bloch *Bemerk.* p. 76. pediluvio calido & glacie capiti applicata ad omnia remedia rebellis hemorrhagia narium ſiſtebatur.

** *Eſsays and obſervations phyſical and literary. Vol. III. Edinb.* 1771.

cet. * Ad aquam refrigerandam pro fomento frigido certius adhibetur.



AQUOSA.

Quæ maximam partem ex aqua conſtant.

AQUA CALCIS.

Eſt aqua ope materiæ cauſticæ terra calcarea imprægnata. *Kalkwaſſer.*

Odor nullus; Sapor adſtringens; ℥j continet 1¼ granum calcis.

Virtus detergens, ſolvens mucum, exſiccans, adſtringens.

Usus in ulceribus ſcorbuticis crurum, ** in tumoribus oedematoſis, in hydrocele, in ſcrophulis, in ulcere cancroſo, in lepra, in tinea capitis.

AQUA MARINA.

Eſt aqua *pelagus* conſtituens. *Meerwaſſer.*

---

* * *Abh. der Pariſer Akademie der Chirurgie.* 4. *B.* p. 208. Omentum in hernia incarcerata congelatum inveniebatur.

* * *Medicin. Bemerk. einer Geſellſchaft von Aerzten in London.* 1. *B.* p. 261.

ODOR nullus; SAPOR ſalſo-amarus, nauſeoſus. *Continet* ſalem marinum, magneſiam ſalitam atque principium nauſeoſum.

VIRTUS abſtergens, ſeptica.

USUS. In ſcabie, lepra & omnibus morbis cutaneis, in ulceribus inveteratis, in pruritu corporis totius vel unius ſolummodo partis balneatio vel lotio adhiberi poteſt. Præcipitationem & balneationem in morſu canis rabidi ad præcavendam hydrophobiam laudare ſolent, at experimenta laudibus non reſponderunt. *

Una ſalis marini pars cum 30 partibus aquæ communis ſoluta æmulatur aquam marinam.

AQUA CALIDA.

Eſt aqua communis *materia caloris* aliquantum impregnata. *Warmes Waſſer.*

ODOR nullus; SAPOR præter aquoſum calorem nullus.

VIRTUS; fibras & vaſa relaxans, humectans, humores impactos reſolvens, diluens, poros aperiendo ſudorem promovens, ſpaſmos ſopiens, calorem majorem parti concilians.

USUS. Adhibetur ſub varia forma:

Forma fomenti in ulceribus cruſtoſis, tumoribus variis:

---

* *Cel.* MARTEAUS. *Abh. über. die Bäder. S.* 195.

Forma Ablutionis in ſcabie & ſorditie capitis vel alius partis, in vulneribus & ulceribus impuris.

—— *vaporis*. Multo efficacius aquæ vapor ſubſtantiam partis penetrat, ut cornu cervi ſolutio in gelatinam ope machinæ Papinianæ docet, quam ipſius aquæ ebullientis virtus. *

Hinc aquæ vapor *laudatur* ad provocandas hæmorrhoides, ad tumores rheumaticos ** vel indurationes mammarum reſolvendas, ad anginam & raucedinem, odontalgiam, ozoenam, ſurditatem & otalgiam curandam & oedemata labiorum vulvæ diſcutienda, ad vaginam ſub partu relaxandam.

Fumigatio volatilis. *** Vas, quod operculum infundibuliforme cum tubo anguſto ex operculi apice exeunte gerit cum ſale tartari & ſale ammoniaco ad libitum impletur, dein aqua fervida vas impletur. Vapor e tubo exiens parti ægrotæ applicatur. Hæc fumigatio in ſurditate, paralyſi, rheumatiſmo, anchyloſi magno cum fructu adhibetur.

---

* *Cel.* UDEN *Nachrichten das zu Berlin angelegte Engliſche Dampfbad betreffend. Berlin.* 1781.

** *Cel.* MARCARD *med. Verſuche* 2. *Th.* p. 90.

*** *Ill.* RICHTERS *Ch. Bibl.* v. *B.* I. *St.* p. 126.

Forma embrocationis & ſtillicidii in tumoribus frigidis, articularibus. *

Forma pediluvii in venæſectione pedis, in clavis digitorum, in arctura unguis & pro revulſione in ophthalmia atque angina. Etiam ſolum pediluvium calorem, ſudorem & pulſum frequentiorem in toto corpore excitat, **

Forma manuluvii in veneſectione manus,

Forma ſemicupii in calculo renum, in herniis incarceratis, in placenta remanente, in urinæ retentione.

Forma balnei in ſcabie, in aſphixia a commotione ſeu contuſione capitis vel pectoris, *** in tetano, in hydrophobia.

THERMÆ AERATÆ.

Sunt aquæ thermales *aëre fixo* & *materia caloris* imprægnatæ.

Thermæ *Carolinæ*, *Trencſinenſes* & omnes aquæ *acidulæ* huc revocari poſſunt.

---

* *Cel.* THEDEN *Neue Bemerk. und Erfahr. Berlin.* 1771 p. 71.

** *Cel.* STEVENS. Vide *der Arzt* 6. *B.* 311. *St.*

*** *Samlung auserleſener Abh. für Wundärzte.* 4. *St.* 99. *S. Schreiben über den fall eines nach einem Schlage auf die Bruſt todtſcheinenden Mannes, der durch eine Aderlaſz und ein warmes Bad gerettet wurde, von* WILLIAM ALEXANDER.

Ordor nullus; Sapor mollis.

Virtus resolvens & emolliens,

Usus in tumoribus frigidis, ulceribus, contracturis.

THERMÆ HEPATISATÆ.
SEU SULPHUREÆ.

Sunt aquæ thermales sulphure ope phlogisti cum materia caloris volatilisato, impraegnatæ. *Schwefelbäder.*

Thermæ *Baadenses*, *Aquisgranenses*, *Budenses* huc pertinent.

Odor ingratus fere ovi subputridi; Sapor subdulcescens.

Virtus resolvens, emolliens.

Usus in morbis scabiosis, ulceribus antiquis crurum, contracturis tendinum & ligamentorum, tumoribus oedematosis & aliis frigidis.

De præparatione balnei sulphurei artificialis vid. *Sulphur.*

BALNEUM FERRI GRANULATI.

Est aqua a ferro granulato defluens. *Eisengranulirwasser.* Continet hæc aqua ferrum ope aëris inflammabilis in aqua solutum. *

Virtus roborans, leniter irritans, solvens mucum, diaphoretica, antipurulenta.

---

* *Cel.* Lentin. *Ueber die Bäder aus Eisengranulirwasser und deren Wirkung bey verschiedenen Krankheiten.* Vide *Cel.* Baldinger *N. Magazin* 3. *B.* 3. *St.* 193. *S.*

Usus. Paralyſin, debilitatem chronicam, rheumatismum inveteratum cito curat. Puogeniam ulcerum & ſcrophulas ſánat.

A E R E A.

A E R F I X U S.

Eſt fluidum aeriforme, acidæ indolis, quod ex creta emanat, ſi cum acore quodam efferveſcit. *Fixe Luft. Luftſäure.*

Odor nullus; Sapor acidulus.

Virtus antiſeptica, exſiccans, ſolvens. Applicatio fit ope peculiaris machinæ, e qua aër fixus e creta cum acido vitrioli efferveſcenti emanans ope tubi ad partem læſam derivatur.

Usus. In ulceribus putridis, * in angina gangrænoſa, in ozoena, in inflammatione mammæ, ** in tinea capitis profuit, *** in cancro faciei & aliarum partium autem parum utilitatis monſtravit. ****

---

* *Cel.* Dobson *Abh. über die Kräfte der fixen Luft, Leipzig* 1781. p. 187. in ulceribus ani p. 191. in ozoena p. 192. in angina gangrænoſa, p. 37.

** loco c. p. 185.

*** *l.* c. p. 186.

**** l. c. p. 192. & *Hiſtoire de la Societé royale de Médecine. Année* 1777. & 1778. p. 231. In cancro pu-

AER INFLAMMABILIS.

Est fluidum aëriforme, quod ab igne admoto accendi se patitur, si prius cum aëre atmosphaerico mixtum fuerit. *Entzündbare Luft.*

ODOR, si e metallo ope acidi vitrioli diluti emanat, farcidus, deterrimus.

VIRTUS resolvens, antiparalytica. APPLICATIO optime fit, mediante balneo ferri granulati.

USUS. De hoc vide *balneum ferri granulati.*

AER MURIATICUS.

Est fluidum aëriforme, quod e sale culinari ope acidi vitrioli concentrati expellitur. *Kuchensalzluft.*

ODOR croceus; SAPOR acidus.

VIRTUS antiseptica. Aërem putridis affluviis refertum corrigit, phlogisti autem accessu corruptum nequaquam emendat. *

TARTARUS CEREVISIÆ.

Est spuma sub fermentatione cerevisiæ in superficiem emergens. *Bierhefen.*

---

trido, cujus caro, labia pallida vel livida sunt & non fungosa, aliquod levamen attulit, in reliquis nil boni præstitit.

* *Cel.* LEONARDI *Aërologiæ primæ lineæ. Lipsiæ.* 1781. p. 8.

ODOR acescens; SAPOR mollis, subacidus.

VIRTUS resolvens, antiseptica.

USUS. Cum farina secalina in pultem redactus, colloque affixus, cito anginam curat. * Sub fermentatione propulsus aër resolvere videtur. Tentetur in aliis inflammationibus & gangræna sicca. V. *Mel.*

DEPLENTIA SANGUINIS.

VENÆ SECTIO.

Est sanguinis evacuatio ope incisæ venæ. *Aderlass.*

VIRTUS: *Deplet* vasa sanguinea majora & minora. *Diminuit* quantitatem sanguinis. *Imminuit* irritabilitatem cordis & vasorum, hinc etiam motum circulatorium.

USUS. In omni morbo chirurgico, qui ab inflammatione, vel plethora universali, vel a congestione sanguinis ad specialem quandam partem, aut a motu circulatorio sanguinis nimio originem habet, indicatur.

CONTRAINDICATUR in sanguinis defectu, in motu circulatorio nimis debili, in inflammatione non

---

* *Ill.* BERGIUS *m. m.* p. 48.

phlogiſtica, ſed biloſo-putrida, & ubi magna ſuppuratio timenda. *

Quantitas ſanguinis evacuandi ad ℔j ut plurimum fieri ſolet, ſed a remiſſione celeritatis & duritiei in pulſu regulam petere tutiſſimum eſt.

ARTERIOTOMIA TEMPORALIS.

Eſt ſanguinis eductio ex inciſa arteria temporali. *Schlaffschlagaderöffnung.*

Virtus. Efficacius multo quam venæſectio ex internis & externis partibus capitis ſanguinem evacuat.

Usus in ophthalmia vehementiſſima, amauroſi ſanguinea, in encephali turgore ſanguineo a prægreſſa capitis læſione.

Ob aneuryſmatis metum ſectio venæ frontalis ſubſtitui ſolet arteriotomiæ temporali.

SCARIFICATIO CRUENTA.

Eſt ſanguinis eductio ex integumentorum communium vaſculis ope plurium exiguorum vulnuſculorum cubo ſcarificatorio vel lanceola cuti inflictorum, & cucurbitulis impoſitis extractorum.

Virtus eſt topica ſanguinis evacuatio ex integumentis communibus.

---

* *Cel.* Zollicofer *diſs. de abuſu venæſectionis in ſanandis inflammationibus. Göttingæ.* 1778. p. 8.

Usus in gangræna, oedemate, margine calloſo ulcerum &c.


HIRUDINUM APPLICATIO.

Eſt eductio ſanguinis per ſuctionem hirudinum applicatorum. *Hirudo Medicinalis. L. Blutigel* pro uſu eligatur. *

Virtus eſt topica ſanguinis evacuatio ex quadam parte.

Usus. Ad hæmorrhoides turgentes vel eas ſuppreſſas evacuandas hirudines orificio ani imponuntur. In ophthalmia, amauroſi & commotione cerebri applicantur temporibus.

Demum loco venæſectionis adhibentur in infantibus & hominibus obeſis, quibus ob parvitatem venarum vena ſecari nequit.



DEPLENTIA SERI.

VESICATORIUM,

Eſt ſeri purulenti evacuatio ex cute ope emplaſtri veſicatorii.

Virtus. Cutem, cui applicatur, primo rubefacit, dein epidermidem in veſicam elevat, qua aperta fluxus ſeri purulenti inducitur.

---

* *Cel.* Schmuker *Ch. Schrift.* 1. *B.* p. 77.

Pars abſorpta cantharidum ſyſtema nervoſum & vaſculoſum irritat, febrem, ſitim & quandoque ſtranguriam inducit.

Usus in morſu canis rabidi.

— ulcere inveterato conſolidato.

— exanthemate quopiam retropulſo.

— tumore rheumatico, oedematoſo vel albo articulorum. Vide *cantharis.*

FONTICULUS.

Eſt ulcus artificiale inciſione cutis excitatum. *Fantanelle.*

Virtus evacuans ſerum purulentum, acrimoniam humorum. Revellens humorum congeſtionem.

Usus in oedemate, & anaſarca,* in incipiente amauroſi vel cataracta, in ophthalmia chronica, in paralyſi crurum a vertebrarum intumeſcentia. **

SETACEUM.

Eſt ulcus artificiale bina habens orificia ope acus peculiaris filamentum transvehentis productum.

---

* *Cel.* HOME *Cliniſche Verſuche.* p. 432.

** *Cel.* POTT *Anmerkungen über die Lähmung der untern Gliedmaſſen, welche ſich oft bey einer Krümmung des Rükgrads findet.* Vide *in kleine mediciniſche Abhandl.* 1. *B.* p. 103.

VIRTUS. Ob majorem ulcerationis ambitum & valde dolorificam irritationem loci, quotidie renovatam vis, evacuans & irritans major eſt, quam in fonticulo.

USUS in amauroſi, ophthalmia chronica, chemoſi albugineæ, hydrocele.

CORTEX THYMELEÆ.

DAPHNE THYMELEA L. Seidelbaſtrinde.

ODOR corticis recentis nullus; SAPOR vix ullus, ſed ſi diutius in ore retineatur, valde acris ſentitur, fauces inflammans, ardore diu inhærente, etiam ſi fauces aqua frigida eluantur. Cortex ſiccatus mitius agit.

VIRTUS. Cortex recens vel ſiccus aqua maceratus cuti applicatus eam epidermide ſenſim privat ac ſerum e loco nudato copioſe allicit atque evacuat.

USUS. In ophthalmia & aliis morbis chronicis ab acrimonia retenta ortis nec non in morbis a congeſtione ſeroſa natis, ut remedium evacuans aut revellens exigua particula cuti applicatur. De methodo applicandi dicturus ſum in *doctrina de operationibus chirurgicis.*

---

* *Cel.* ARCHANGE *le* ROI *eſſay ſur l'uſage & les effets de l'ecorce du Garou. Paris* 1767. & *Cel.* ROOS *diſſertatio de cortice Thymeleæ.* Lugd. *Batav.* 1778. p. 25.

MECHANICA.

GOSSYPIUM seu BOMBAX.

Gossypium herbaceum L. Baumwolle.

Odor & Sapor nullus.

Virtus. Lana gossypii topicis, imprimis oticis & odonticis medicamentis applicandis inservit.

LINTEUM CARPTUM.

Filamenta e linteo evulsa sic vocantur. *Karpey.*

Virtus lintei carpti sicci absorbens, exsiccans, tenuissimis villis leniter irritans. Rasum linteum magis quam carptum irritat vulnera. *

Usus in compescenda hæmorrhagia e vasis minoribus vulneratis. In applicandis medicamentis liquidis aut mollibus pro vehiculo inservit. Aërem arcet, & vulnera recentia & pura multo tutius quam unguenta balsamica, quæ nimium irritant & pus in his movent, consolidat, si linteum carptum aqua frigida humectatum omni 24 hora applicetur. ** Ulcera demum exsiccat, si aqua aluminosa humectetur.

---

* *Cel.* Brambilla *Abhandlung von Oxykrat und der troknen Karpey. Wienn.* 1777.

* * *Abh. der Pariser Akademie der Chirurgie.* 4. *B.* p. 55.

CHARTA

CHARTA PAPYRACEA.

CHARTA *papyracea. Papier.* Productum ex CANNABI vel LINO.

USUS. Charta *emporetica* masticata & in glomerem convoluta pro compressione mediocris arteriæ læsæ adhibetur. Charta *alba* spiritu vini aqua frigida diluto madida excoriationi tibiarum a contusione applicatur. Charta *coerulea*, quo saccharum involvi solet, creta & camphora illita erysipelati imponitur. Charta *auri foliati* vulnus a venæ sectione inflictum a quibusdam unitur.

SPONGIA MARINA.

SPONGIA *officinalis L. Baadschwamm.* Est habitaculum vermis.

ODOR & SAPOR nullus.

VIRTUS humidum absorbens, absorptionem puris in vulnere impediens.

USUS. Magnis vulneribus tempore æstivo nimium suppurantibus, ut in amputata mamma vel crure observatur, tenues lamellæ spongiæ imponuntur: hæ lamellæ puris partem tenuiorem absorbent, sic pus spissius remanet, quod e vulnere non adeo facile absorberi potest. *

---

* *Medicinische Bemerkungen einer Gesellsch. von Aerzten. London 2. B. p. 243.*

SPONGIA PRÆPARATA.

Spongia marina L. præpariter Schwamm eſt ſpongia cera penetrata.

Virtus. Humectata multum intumeſcit, hinc obturando & dilatando agit.

Usus ad dilatanda vulnerum & ulcerum orificia, ſi hac dilatatione indigent. Demum hæc ſpongia in modum agarici applicata ad ſiſtendum ex ſauciata arteria ſanguinem eſt medicamentum agarico efficacius.

AGARICUS PRÆPARATUS.

Boletus igniarius L. Eichenſchwamm. Eſt fungus, qui ſupra truncos betularum, quercuum & fagorum creſcit. Optimus eſt qui ſupra fagum invenitur. *

Præparatio. Colligatur boletus ſiccatus, abſcindatur pars corticalis, utpote dura nimis, parenchyma coriaceum malleo tamdiu pulſetur, donec molliſſimum & leniſſimum evadat.

---

* *Cel.* Brossard chirurgus Gallus primus, in gallia ſaltem, hunc fungum ad hæmorrhagias ſiſtendas adhibuit & ideo præmio a Rege Galliæ remuneratus fuit. V. *Cel.* Platner *Zuſätze zu ſeines Vaters Chirurgie* 1. *Th.* 67. *S.*

Virtus est adhæſiva, obturans. Nulla qualitas adſtringens huic fungo ineſt, nam ejus infuſum aquoſum a vitriolo martis non nigreſcit. *

Usus. Ad hæmorrhagiam ex arteria læſa, non nimis magna, compeſcendam graduatim applicetur, dein faſcia compreſſiva firmetur.

Sub applicatione agarici ſedulo curandum, ut bene attingat vas læſum, hinc vulnus tornaculo applicato ſiccandum; ut fungus lumini vaſis propemodum intrudi poſſit; huic fruſtulo aliud & aliud aliquantum majus graduatim imponatur, tum ſpleniolis & faſcia circumligata firmentur omnia. Fungus adhærens non auferatur, donec ſua ſponte ab arteria decidat.

In majori arteria læſa agaricus non ſufficit, ut experientia docuit, hinc vas majus læſum ligaturam cum filo & acu exigit. **

B O V I S T A.

Lycoperdon Boviſta L. Boviſt., Crepitus lupi.

Odor & Sapor nullus.

---

* *Cel.* Bergius *m. med.* p. 864.

** *Ill.* Richter *obſervat. chirurgicarum faſciculus* III. p. 69. Neque ego arteriæ radialis læſionem fungo agarico ſiſtere potui, licet intra quatuor dies illum recenter ter adhibuerim, ſemper enim intra unum alterumve diem a minimo motu manus recruduit hæmorrhagia.

VIRTUS absorbens humidum, exsiccans, obturans.

USUS in læsione arteriæ. Adhibetur eodem modo ut agaricus præparatus.

RESINA ELASTICA.

Est succus sole inspissatus ex incisione arboris *HEVEA guianensis* dictæ profluens. * *Elastisches Harz.*

ODOR nullus; SAPOR debilis. Nec aqua nec alcohole vini, nec alcalinis solvitur. Potest vero oleis stillatitiis: ut oleo terebinthinæ, oleo animali Dippellii & naphtha vitrioli solvi.

VIRTUS. Mirabili gaudet flexilitate, extensilitate & elasticitate. Discissa solo contiguo attactu iterum suasponte concrescit.

USUS ad paranda instrumenta chirurgica. Parari possunt ex hac resina:

1. *Catheteres solidi & cavi*, nec non *Cereoli*, qui in sensilissima urethra ob mollem flexilitatem longe diutius absque magno incommodo & sine metu arrosionis relinqui possunt, quam ejusmodi instrumenta ex metallis parata, quæ partim duri-

---

* *Cel.* JULIAANS *diss. de resina elastica cajennensi. Trajecti ad Rhenum* 1780.

tie, gravitate & inflexilitate facilique arrofione ab urina vel pure incommodant ægros. *

2. *Annuli lati* ad coercendas fracturas. *Peſsaria* ad uteri & vaginæ prolapſum. * * *Bracheria* ſeu *Perizomata* ad retinendas hernias. * * *

3. *Ochreæ* ad crura oedematoſa, * * * * *Linteum reſina hac illitum* loco vulgaris lintei cerati ad ulcera tegenda confici poſſunt.

4. Parant denique angli *ſiphunculos* ad clyſmata infantibus injicienda, liquores nonnullos in ure-

---

* *Cel.* THEDEN *Sendſchreiben an den berühmten Herrn Profeſſor Richter die neuerfundenen Catheters aus der Reſina elaſtica betreffend. Berlin.* 1777. & *neue Bemerk.* 2. *Theil.* p. 143.

** *Cel.* HAMILTONS *Abh. über die Hebamenkunſt.* p. 46.

*** Tales enim faſciæ ad omnes corporis figuras & poſitiones, & volumina ſeſe accomodantes, ſua elaſticitate æquabiliſſimam preſſionem exſerunt.

**** Indi ex hac reſina formant ochreas, quæ & pueri & adulti pedibus ita ſunt accomodatæ, ut eos accurate ampleĉtantur: hæ jam ochreæ aquis ſunt imperviæ, nec facile aëris injuriis ac attritu conſumuntur. Cæterum hæ ſatis bene corium ſimulant.

thram immittendos & lac e puerperarum & nutricum mammis extrahendum accomodatos. *

---

* *Cel.* JULIAANS *l. c.* p. 62. & *Cel.* THEDEN *Neue Bemerkungen* 2. *Theil.* p. 259.



MATERIA
MEDICO-CHIRURGICA
GENERALIS.

ELENCHUS

De materia medico chirurgica generatim.

EVACUANTIA.

Emetica.
Eccoprotica.
Purgantia.
Diaphoretica.
Diuretica.
Sialagoga.
Expectorantia.
Emmenagoga.
Aristolochica.
Ecbolica.
Hæmorrhoigoga.
Carminativa.
Galactophora.
Aphrodisiaca.

EVACUATIONEM SISTENTIA.

Antemetica.
Antidiarrhoeica.
Antisalivatoria.
Lactifuga.

Antaphrodisiaca.

Hæmostatica.

ALTERANTIA PARTIUM SOLIDARUM.

Emollientia.

Adstringentia.

Roborantia.

Stimulantia.

Sedantia.

Antispasmodica.

Antiparalytica.

Anodyna.

Somnifera.

Stomachica.

Vulneraria.

ALTERANTIA PARTIUM FLUIDARUM.

Diluentia.

Solventia.

Digestiva.

Inspissantia.

Obvolventia.

Refrigerantia.

Calefacientia.
Nutrientia.
Hæmatopojetica.
Depurantia ſanguinis.

SPECIFICA.

Antacida.
Antiſeptica.
Septica.
Antibilioſa.
Antipituitoſa.
Antirancida.
Antiphlogiſtica.
Anteryſipelacea.
Antiulceroſa.
Antivenerea.
Antiſcorbutica.
Antiſcabioſa.
Antiſcrophuloſa.
Anticancroſa.
Anticarioſa.
Anticalculoſa.
Antivarioloſa.
Antirheumatica.
Antarthritica.

Anthelminthica.

Antifebrilia.

Antidota.

Antirhachitica.

Antihydrophobica.





DE MATERIA MEDICO-CHIRURGICA GENERATIM.

Scientia, quæ medicamentorum internorum ad curandos morbos externos adhibendorum virtutem, uſum & applicationem tradit, *Pharmacologia medico-chirurgica* ſeu *Materia medica morborum chirurgicorum* dicitur.

Eſt vero *medicamentum internum* omne ens, quod ventriculo ingeſtum, partis cujusdam morbum in ſanitatem reſtituit.

Dividuntur medicamenta interna a ſua virtute medicata in ſequentes claſſes principales:

1. in *evacuantia.*
2. — *evacuationem ſiſtentia.*
3. — *alterantia partium ſolidarum.*
4. — *alterantia partium fluidarum.*
5. — *ſpecifica.*

EMETICA.

Sunt medicamenta, quæ ventriculi contenta per os eliminant.

Concutiunt præterea abdomen, thoracem & caput. INDICANTUR hinc

1. in morbis a *ſaburra bilioſa ventriculi* ortis, ut in eryſipelate, angina, ophthalmia, parotide bilioſa, * aut vulnerum vel ulcerum inflammatione bilioſa, ** in ſcirrho & cancro atrabilario. ***

2. in *tumoribus reſolvendis* per auctam vaſorum lymphaticorum actionem: ut oedema, hydarthron, ſtruma, hydrocele, teſticulus venereus, tumores articulares **** ſunt.

3. Si corpus valide *commovendum*: ut in amauroſi, in incipiente cataracta, in corpore heterogeneo in oeſophago vel trachea hærente, in angina membranacea. *****

4. Si ventriculus cibo repletus vulneretur. ******

---

* Parotidem ſymptomaticam reſoluere dato vomitorio licet, parotis autem critica in ſuppurationem eſt ducenda.

** *Cel.* STOLL *R. Med. T.* 2. in variis locis.

*** *Ill.* RICHTER *Anfangsgründe der Wundarzneyk.* p. 284.

**** *Ill.* RICHTER *Ch. Bibl.* 5. *B.* 1. *St.* p. 117. &c.

***** *Schwediſche Abh.* 34 *B.* 343. *S.* In ſtadio inflammatorio membrana adhuc firmiter adhærente nocent vomitoria: at inflammatione evanida & urina jam puriformi reddita tuto dari dicuntur.

****** *Cel.* MORAND *opuſcules de Chirurgie Vol.* 2. à Paris 1772. duobus in caſibus emeticum feliciter exhibuit, ut ventriculo evacuato vulnus ejus ſe contraheret.

Tutissima Emetica ſunt:

Radix Ipecacuanhæ.

Tartarus emeticus.

Vitriolum album.

ECCOPROTICA.

Quæ primarum viarum ſordes leni ſtimulo evacuant.

Indicantur in morbis a *ſaburrà primarum viarum*, ut inflammationes billioſæ ſunt,

— —— — *foecibus induratis*: ut eſt hernia a foecibus incarcerata, intumeſcentia hæmorrhoidum.

Optima Eccoprotica ſunt:

Sal amarus.
— Seigneti.
— mirabile Glauberi.

Cremor tartari.

Pulpa tamarindorum.
—— caſſiæ.

Manna.

Rheum.

Magneſia alba.

Oleum ricini.

PURGANTIA.

Quæ primarum viarum ſordes ac ſimul humores ad inteſtina delatos acri ſtimulo & validius quam eccoprotica evacuant.

Indicantur in morbis a ſaburra pituitoſa, quando primæ viæ eccoproticis evacuari ſe non ſinunt; vel quando humores e variis tumoribus evacuandi & verſus inteſtina revellendi: * ut in tumoribus aquoſis articularibus & aliis.

Purgantia optima ſunt:

Folia ſennæ

Jallappæ radix.

Reſina jallappæ.

—— ſcamonii.

Scamonium.

Aloe.

Gratiola.

Pulpa colocinthidis.

DIAPHORETICA.

Quæ tranſpirationem cutaneam ad ſudorem usque augent.

---

* Durum tumorem linguæ dato valido purgante evaneſcere vidi.

Indicantur

INDICANTUR in morbis ab impuritate humorum vel a tranſpiratione ſuppreſſa ortis: ut in tumoribus ſeroſis, rheumaticis &c.

DIAPHORETICA ſunt:

Aqua calida.

Vinum calidum.

Acetum.

Spiritus Mindereri.

Salia alcalina volatilia.

Camphora.

Antimonium diaphoreticum.

——— crudum.

Infuſum florum ſambuci.

——— ——— calendulæ.

Oleum animale DIPPELLII.

DIURETICA.

(Quæ urinæ ſecretionem in renibus augent.

INDICANTUR in morbis ab urina retenta aut parcius fluente. In impuritate humorum, in pure ex abſceſſu in ſanguinem abſorpto; in abundantia ſeri ut in tumoribus hydropicis, ſeroſis &c.

DIURESIN movent.

Scilla.

Oxymel ſcilliticum.

Oxymel colchycum.

Serum lactis acidum.

Cremor tartari.

Nitrum.

Tartarus tartarisatus.

Sal sodæ.

— tartari.

Succus asellorum.

Decoctum petrosellini.

—— semenis dauci.

—— juniperi.

Terebinthina.

Balsamus copaivæ.

SIALAGOGA.

Quæ salivæ secretionem e glandulis salivalibus augent.

Indicabantur olim ad curandam luem veneream, & hydrophobiam. At experientia docuit, luem facilius sine salivatione curari & hydrophobiam mercurio non cedere. Recentiores salivationem in hydrocephalo interno & in chronica dysuria rheumatica * laudant.

Salivationem movent sala mercurialia majori dosi data ut:

Mercurius gummosus.

* *Cel.* Bisset *Versuche* p. 134.

Mercurius dulcis.
—— ſublimatus corroſivus.
—— præcipitatus albus.
—— —— ruber.
—— calcinatus.
Turpetum minerale.

EXPECTORANTIA.

Quæ corpora in ſyſtemate aëreo pulmonum contenta evacuant.

Indicantur, ſi mucus, pus, corpus heterogeneum, ut membrana in angina membranacea, evacuanda ſunt.

Tuſſi exprimitur ſæpe pus in empyemate & ſanguis effuſus in cavo thoracis e dilatato vulnere externo thoracis.

Expectorantia ſunt:

Oxymel ſcilliticum.
Gummi ammoniacum.
Kermes mineralis.
Hyſſopus.
Vapor oxycrati calidi.

EMMENAGOGA

Quæ ſecretionem ſanguinis menſtrui promovent.

Indicantur in tumoribus, ulceribus & aliis morbis a ſanguine menſtruo retento vel ſuppreſſo ortis.

Emmanagoga ſunt:

Radix rubiæ tinctorum.

Folia ſabinæ.

Aloe.

Pulſatilla nigricans.

limatura martis.

Borax.

ARISTOLOCHICA.

Quæ lochiorum ſecretionem promovent.

Indicantur in morbis externis, quæ oriuntur a lochiis ſuppreſſis.

Aristolochica ſunt omnia emmenagoga, & Cerefolium.

ECBOLICA ſeu ABORTIVA.

Quæ fœtum & alia corpora in utero contenta expellunt.

Indicantur in morbis a fœtu mortuo, putreſcente, aut a placenta remanente ortis.

Ecbolica ſunt omnia emmenagoga.

HÆMORRHOIGOGA.

Quæ ſanguinis hæmorrhoidalis ſecretionem promovent.

INDICANTUR in morbis ab hæmorrhoidum fluxu retento; ſuppreſſo vel inſtante ortis.

HÆMORRHOIGOGA ſunt:

Aloe.

Borax.

Aſa fœtida.

Alcali volatile.

Vapor aquæ &

hirudines ad orificium ani.

CARMINATIVA.

Quæ aërem e primis viis ructu vel flatu eliminant.

INDICANTUR in morbis ab aëre primarum viarum ortis.

CARMINATIVA ſunt:

Spiritus juniperi.

——— nitri dulcis.

——— ſalis dulcis.

Oleoſacharum cort. aurantiorum.

ſem. aniſi.

——— cumini.

——— anethi.

——— carvi.

——— coriandri.

Asa fœtida.

Flores chamomillæ.

GALACTOPHORA.

Quæ lactis secretionem in mammis puerperarum promovent.

Indicantur in lactis defectu, & morbis inde ortis.

Galactophora sunt:

Fœniculum.

Anethum.

Cerefolium.

Flores sambuci.

Cerevisia.

Diæta sorbilis.

APHRODISIACA.

Quæ seminis secretionem in testiculis promovent.

Indicantur in morbis a defectu seminis ortis.

Aphrodisiaca sunt:

Tinctura cantharidum.

Moschus.

Ambra.

Opium.

EVACUATIONEM SISTENTIA

ANTEMETICA.

Quæ vomitum ſiſtunt.

INDICANTUR in vomitu, qui cauſa vel ſymptoma morbi externi eſt.

ANTEMETICA ſunt, ſi primæ viæ exiſtunt puræ:

Opium.

Mentha.

Melliſſa.

Sal abſynthii cum ſucco citri efferveſcens.

ANTIDIARRHÆICA.

Quæ diarrhæam ſiſtunt.

INDICANTUR in diarrhæa, quæ cauſa vel ſymptoma morbi chirurgici eſt.

ANTIDIARRHÆICA ſunt, ſi primæ viæ ſunt puræ:

Opium.

Radix arnicæ.

Hb. lyſimachiæ.

Nux vomicæ.

ANTISALIVATORIA.

Quæ ſalivationem ſiſtunt.

Indicantur in ptyalismo, qui causa vel symptoma morbi externi vel dati mercurii est.

Antiptyalitica sunt datis purgantibus:

Marrubium album.

Salvia.

Sulphur.

LACTIFUGA.

Quæ galactirrhæam nimiam sistunt.

Indicantur in lactis affluxu nimio ad mammas.

Lactifuga sunt:

Arcanum duplicatum.

Dulcamara.

Mentha crispa.

Salvia.

ANTAPHRODISIACA.

Quæ seminis secretionem diminuunt.

Indicantur in priapismo & inflammatione partium genitalium.

Antaphrodisiaca sunt:

Diæta vegetabilis.

Nitrum.

Fructus horæi.

Succus citri.

HÆMOSTATICA.

Quæ hæmorrhagiam ſiſtùnt.

Indicantur in omni hæmorrhagia, quæ morbi externi cauſa vel ſymptoma eſt:

Hæmostatica ſunt:

Nitrum.

Aqua frigida.

Emulſio ſeminum lacteſcentium.

Cort. peruvianus.

Spiritus vitrioli.

Succus citri.

EMOLLIENTIA.

Quæ fibras noſtri corporis relaxant.

Indicantur in morbis, qui a tenſione, rigiditate, ſpaſmo vel nimio robore fibrarum oriuntur.

Emollientia ſunt:

Aqua tepida.

Decoctum altheæ.

——— malvæ.

——— ſeminum lini.

Oleum blandum.

Lac.

ADSTRINGENTIA.

Quæ fibras ſine ſtimulo contrahunt.

Indicantur in morbis a laxitate fibrarum ortis: ut hernia, prolapſus, inflammatio chronica.

Adstringentia ſunt:

Radix biſtortæ.

—— tormentillæ.

Terra catechu.

Vitriolum martis.

Alumen.

ROBORANTIA.

Quæ fibras ſtimulo aromatico vel amaro contrahunt.

Indicantur in morbis ab inertia nervorum & atonia fibrarum ortis.

Roborantia ſunt:

Cortex peruvianus.

Ferrum.

Mentha.

Melliſſa.

Spiritus vini.

Rad. gentianæ.

MOTUM SANGUINIS AUGENTIA.

Quæ ſuo ſtimulo motum cordis & vaſorum augent.

Dicuntur etiam *Stimulantia*, *Irritantia*, *Cardiaca*.

Indicantur in morbis, qui a languore cordis & vaſorum vel ab inertia nervorum & fibrarum proveniunt.

Cardiaca ſeu ſanguinis motum augentia ſunt :

Vinum.

Spiritus vini.

Naphta vitrioli.

—— aceti.

Oleum cinamomi.

—— caryophillorum.

Sal volatile cornu cervi.

Tinctura cantharidum.

SEDANTIA SEU MOTUM SANGUINIS DIMINUENTIA.

Quæ cordis & vaſorum motum minuunt.

Indicantur in morbis ab exceſſu motus vitalis ſeu febre nimis valida.

Sedantia ſeu motum ſanguinis ſedativa ſunt :

Spiritus vitrioli.

Aër fixus.

—— frigidus.

Aqua frigida.

Emulſio.

Nitrum.

Fructus horæi.

ANTISPASMODICA.

Quæ ſpaſmos & convulſiones ſiſtunt.

Indicantur in morbis, quorum cauſa vel ſymptoma ſpaſmus eſt.

Ideo ante ac poſt omnem operationem majorem opium cum oleo dandum. Conveniunt denique in tetano a vulnere, in herniæ incarceratione ſpaſmodica.

Antispasmodica ſunt :

Opium.

Extractum hyoſciami.

Flores zinci.

Aſa fœtida.

Camphora.

Moſchus.

Valeriana.

Caſtoreum.

Mercurius.

ANTIPARALYTICA.

Quæ paralyſin curant.

Indicantur in morbis, quorum cauſa vel ſymptoma paralyſis fibrarum muſcularium eſt.

Antiparalytica ſunt :

Flores arnicæ.

Marum verum.

Tinctura cantharidum.

ANODYNA.

Quæ dolorem ſopiunt.

Indicantur in omnibus morbis, quorum cauſa vel ſymptoma gravis dolor eſt.

Anodyna ſunt:

Opium.

Extractum hyoſciami.

——— cicutæ.

SOMNIFERA.

Quæ ſomnum inducunt.

Indicantur in morbis, quorum ſymptoma pervigilium eſt.

Somnifera ſunt:

Opium.

STOMACHICA.

Quæ ventriculum roborant.

INDICANTUR in morbis, quorum causa vel symptoma imbecillitas stomachi seu digestio vitiosa est. Hæc enim quandoque odontalgiæ, ophthalmiæ chronicæ, insanabilitatis vulnerum causa & herniosorum symptoma est.

STOMACHICA sunt:

Radix gentianæ.

Centaureum minus.

Extractum fellis taurinæ.

Cort. aurantiorum.

Mentha.

Zingiber.

Vinum chalybeatum.

Tinctura martis.

Vinum.

Elixir vitrioli.

Spiritus anodynus mineralis.

VULNERARIA.


Quæ ulcerum sanationem promovere dicuntur.

In sanis hominibus solutiones continui sua sponte & facile sanantur; hinc vulnerario interno non indigent. At in hominibus cachecticis ulcerum sanatio difficilis observatur, nisi vulneraria interne adhibeantur.

INDICANTUR hinc in omni ulcere difficilius sanando.

Vulneraria sunt:

Cortex peruvianus.
Mel.
Aqua selterana cum lacte.
Agrimonia.
Veronica.
Betonica.
Sanicula.
Salvia.
Scolopendrium.
Alchemilla.
Arnica.
Anserina.
Cerefolium.
Fumaria.



ALTERANTIA PARTIUM FLUIDARUM.

Quæ maximam partem in fluida agunt: ut

DILUENTIA.

Quæ humores nostri corporis diluunt.

Indicantur in morbis, quorum causa humorum spissitudo est.

Diluentia ſunt:

Aqua fontana pura.
—— ſelterana.
—— acidula.
Serum lactis.
Decoctum avenæ.
———— hordei.
———— bardanæ.
Cereviſia tenuis.

SOLVENTIA.

Quæ humores ſpiſſos diſſolvunt, & attenuant.

Indicantur in morbis, qui aſpiſſitudine humorum proveniunt, ut tumores indurati ſunt.

Solventia ſeu *Attenuantia* ſpiſſitudinis ſunt:

Sapo alicantinus.
Mercurialia.
Antimonialia.
Tinctura antimonii Thediana.
Sal mirabile Glauberi.
Tartarus vitriolatus.
——— tartariſatus.
——— ſolubilis.
Terra foliata tartari.
Nitrum.
Sal tartari.

Borax

Borax.

Radix cichorei.

—— taraxaci.

—— graminis.

—— ononidis.

Herba fumariæ.

Sonchus.

Senecio.

Extractum cicutæ.

DIGESTIVA.

Quæ cruditatem tenacem primarum viarum mobilem reddunt.

Indicantur in morbis, qui a ſaburra tenaci primarum viarum oriuntur.

Digestiva ſunt:

Arcanum duplicatum.
Sal ammoniacum.
Tartarus tartariſatus.
—— ſolubilis.
Sal mirabile.
Oxymel ſimplex.
Radix ari.

INSPISSANTIA.

Quæ humores ſolutos reddunt ſpiſſiores.

Indicantur in morbis, qui a tenuitate nimia humorum proveniunt: ut in hæmorrhagiis a ſanguine diſſoluto.

Inspissantia ſunt:

Spiritus vitrioli.

Alcohol vini.

Mucilago gummi arabici.

Oryzæ decoctum.

Radix ſymphyti.

OBVOLVENTIA.

Quæ acrimoniam humorum involvunt.

Indicantur in humorum acrimonia.

Obvolventia ſunt:

Decoctum hordei.

——— oryzæ.

——— avenæ.

——— radicis altheæ.

——— herbæ malvæ.

——— ſeminis lini.

——— ——— cannabis.

——— radicis ſalep.

——— granorum ſagu.

Mucilago gummi arabici.

Oleum amygdalarum.

Butyrum.

Lac animale.

Emulſio amygdalina.

REFRIGERANTIA.

Quæ frigus corpori humano inducunt.

Indicantur in morbis ab æſtu nimio corporis.

Refrigerantia Actualia ſunt:

Potus aquæ frigidæ.

—— —— glaciatæ.

Nitrum.

Succus citri.

Fructus horæi.

CALEFACIENTIA.

Quæ corpori noſtro majorem calorem inducunt.

Indicantur in morbis, quorum cauſa frigus actuale vel morboſum eſt.

Calefacientia interna ſunt:

Potus aromaticus.

Coffea.

Vinum.

Spiritus vini.

Olea ætherea.

NUTRIENTIA.

Quæ corpus noſtrum novo ſucco nutrititio replent.

Indicantur in morbis a defectu humorum ortis: ut poſt hæmorrhagias, aut magnas ſuppurationes.

Dividuntur nutrientia in animalia & vegetabilia.

Animalia ſunt:

Gelatina cornu cervi

Ova ſorbilia.

Caro vitulina.

— gallinacea

— bovina tenera.

Jura meraca carnium.

Vegetabilia ſunt:

Oriza.

Grana Sagu.

Hordeum.

Panatella.

Lac.

Fructus horæi.

Olera tenera.

HÆMATOPOJETICA.

Quæ ſanguificationem augent & promovent.

Indicantur in morbis a ſanguine pallido, cachectico.

Hæmatopojetica ſunt:

Stomachica.

Martialia.

DEPURANTIA SANGUINIS.

Quæ humores ab acrimonia vel alia cruditate depurant.

Indicantur in morbis ab acrimonia humorum ortis.

Depurantia Generalia ſunt:

Stipites dulcamaræ.

Radix bardanæ.

——— chinæ nodoſæ.

——— ſarſaparillæ.


Lignum guajacum.

——— juniperi.

Fumaria.

Antimonium.

Depurantia Specifica, quæ in qualibet ſpeciali acrimonia conveniunt, mox denominabuntur.



SPECIFICA.

Quæ ſpecialem aliquam acrimoniam, auferunt, ſunt:

ANTACIDA.

Quæ acrimoniam acidam corrigunt.

Indicantur in morbis a ſaburra vel cachexia acida ortis.

ANTACIDA ſunt:

Abſorbentia.

Lapides cancrorum.

Conchæ præparatæ.

Magneſia alba.

Alcalina.

Sal tartari.

— ſodæ depuratæ.

Amaricantia.

Radix caryophillatæ.

Lignum quaſſiæ.

Bilis animalium.

ANTISEPTICA.

Quæ putredini humorum reſiſtunt.

INDICANTUR in humorum & ſolidorum putrefactione: ut gangræna, ulceribus putridis.

ANTISEPTICA ſunt:

Acida.

Acetum.

Succus citri.

Spiritus vitrioli.

Spirituoſa.

Spiritus vini.

Vinum.

Amara.

Cortex peruvianus.

Aromatica.

Radix arnicæ.

Camphora.

Balſamica.

Myrrha.

SEPTICA.

Quæ humorum putredinem augent.

Indicantur in induratis tumoribus, incipiente putredine ſolvendis: ut ſcrophula, ſtruma.

Septica ſunt:

Lapides cancrorum.

Sal culinaris.

Aqua marina.

ANTIBILIOSA.

Quæ bilis acritatem corrigunt.

Indicantur in morbis ab acrimonia bilis ortis: ut eryſipelate, herpete.

Antibiliosa ſunt:

Cremor tartari.

Pulpa tamarindorum.

Acetum.

Acetoſa.

Acetoſella.

Radix columbo.

—— arnicæ.

Camphora

Roob ſambuci.

ANTIPITUITOSA.

Quæ pituitam ſolvunt & corrigunt.

Indicantur in morbis a pituita ortis.

Antipituitosa ſunt:

Sal ammoniacum.

Flores arnicæ.

ANTIRANCIDA.

Quæ rancefcentiam olei impediunt.

Indicantur in morbis a rancore in primis vel ſecundis viis.

Antirancida ſunt:

Saccharum.

Crocus martis

Magneſia.

Cremor tartari.

Aër fixus.

ANTIPHLOGISTICA.

Quæ inflammationem domant.

INDICANTUR in omni morbo inflammatorio genuino. In inflammatione enim saburrali emetica & eccoprotica dari debent.

ANTIPHLOGISTICA sunt :

Nitrum.

Sal ammoniacum.

Emulsio seminum lactescentium.

Dococtum hordei.

——— avenæ.

——— scorzoneræ

——— graminis.

Camphora.

Oxymel simplex.

Mel.

Saccharum.

Aquæ potus emolliens.

Succus citri.

ANTERYSIPELACEA.

Quæ acrimoniam erysipelaceam domant.

INDICANTUR in erysipelate.

ANTERYSIPELACEA sunt :

Pulpa tamarindorum.

Cremor tartari.

Flores sambuci.

Glans quercina.

Semen xanthii.

Aquila alba.

ANTIULCEROSA.

Quæ ulcerum cacoethicorum indolem corrigunt.

Indicantur in ulceribus antiquis crurum & aliarum partium.

Antiulcerosa ſunt:

Cortex peruvianus.

Nitrum.

Tartarus tartariſatus.

Cicuta.

Belladona.

Mercurius ſublimatus.

——— dulcis.

——— gummoſus.

Semen phelandrii aquatici.

ANTIVENEREA.

Quæ miaſma venereum corrigunt.

Indicantur in morbis venereis.

Antivenerea ſunt:

1. *Mercurialia.*

Mercurius gummoſus.

——— dulcis.

——— ſublimatus.

——— præcipitatus albus.

——— calcinatus.

2. *Vegetabilia.*

Radix ſarſaparillæ.

Radix bardanæ.

—— chinæ nodofæ.

Lignum fanctum.

Opium.

3. *Exotica.*

Radix lobelliæ fyphiliticæ.

ANTISCORBUTICA.

Quæ acrimoniam fcorbuticam corrigunt.

INDICANTUR in morbis a fcarbuto ortis: ut ulcera fcorbutica funt.

ANTISCORBUTICA funt:

Herba cochleariæ.

—— nafturtii.

—— beccabungæ.

—— fumariæ

Calamus aromaticus.

Endivia.

Raphanus.

Armoracia.

Braffica acidulata.

Daucus.

Rapa.

Pifa recentia crude comefla. *

---

* *Journal de Phyfic. Aout* 1781. Daucus, Rapa, Cepa & pifa viridia crude comefta magis adhuc antifcorbutica, quam braffica acidulata erant.

Cepa.

Aurantia.

Citrus.

Maltum hordei.

Lac dulce & ebutyratum.

Dulcamara.

Strobili pini.

Saccharum.

Acetoſa.

Acetoſella.

ANTISCABIOSA.

Quæ virus ſcabioſum domant.

Indicantur in morbis ſcabioſis.

Antiscabiosa ſunt:

Flores ſulphuris.

Aethiops mineralis.

Mercurius ſublimatus in herpete, in tinea.

Enula.

Helleborus albus.

Cicuta.

Cortex intermedius ulmi &

Stipites dulcamaræ in ſcabie ſicca.

Viola tricolor in cruſta lactea.

Ledum paluſtre in lepra.

ANTISCROPHULOSA.

Quæ virus ſcrophuloſum corrigunt.

INDICANTUR in morbis ſcrophuloſis.

ANTISCROPHULOSA ſunt :

Mercurius gummoſus.
——— dulcis.
——— ſublimatus corroſivus.
Aethiops mineralis.
——— antimonialis.
Cicuta.
Digitalis.
Cortex peruvianus.
Aqua marina.
Sal communis.
— tartari.
Fucus veſiculoſus.
Tinctura antimonii THEDIANA.
Spongia uſta.
Sapo venetus.

ANTICANCROSA.

Quæ virus cancroſum corrigere dicuntur.

INDICANTUR in cancro.

ANTICANCROSA cenſentur:

Cicuta.

Belladona.

Tinctura antimonii THEDIANA.

Arſenicum.

Digitalis.

ANTICARIOSA.

Quæ ſaniem carioſam emendant & exfoliationem promovent, ſunt:

Aſa foetida.

Calamus aromaticus.

Sabina.

Cicuta.

Aqua calcis.

Semen phellandrii aquatici.

Cort. peruvianus.

Lignum quajacum.

——— ſaſſafras.

Aquila alba.

Rubia tinctorum.

Antimonialia.

Belladona.

Aqua marina.

Emetica ſæpius repetita.

ANTICALCULOSA SEU LITHONTRIPTICA.

Quæ calculum veſicæ urinariæ ſolvere dicuntur.

Indicantur in calculo renum & veficæ urinariæ.

Anticalculosa putantur :

Aqua calcis.

Sapo alicanthinus.

Uva urfina.

Rad. ononidis.

Lixivium faponariorum.

Sal fodæ.

ANTIVARIOLOSA.

Quæ miafma variolofum corrigere dicuntur.

Indicantur in morbis a viru variolofo excitatis.

Antivariolosa funt :

Mercurius dulcis.

Antimonialia.

ANTIRHEUMATICA.

Quæ acrimoniam rheumaticam corrigunt.

Indicantur in morbis ab acrimonia rheumatica ortis.

Antirheumatica funt :

Extract. aconiti.

Antimonialia.

Cotula foetida.

ANTARTHRITICA.

Quæ acrimoniam arthriticam corrigunt.

Indicantur in morbis ab acrimonia arthritica ortis: ut sunt tumores & ulcera arthritica.

Antarthritica sunt.

Extractum aconiti.

Antimonium.

Gummi guajacum.

Rad. gentianæ.

Centaureum.

ANTHELMINTHICA.

Quæ vermes necant & e primis viis expellunt.

Indicantur in morbis a saburra verminosa primarum viarum ortis.

Anthelminthica sunt:

Vitriolum martis.

Limatura stanni.

Aethiops mineralis.

Sal ammoniacum.

Radix filicis.

——— valerianæ.

Cortex peruvianus.

Corallina.

Oxymel scilliticum.

Asa foetida.

Camphora.

Oleum ricini.

——— nucum juglandium.

Allium

Allium.
Cepa.
Daucus.
Petroleum.
Extractum felis taurinæ.
Spiritus vitrioli.
Aqua frigida.
—— calcis.
—— acidula.
Aloë.
Helminthocortum.
Jallapa.
Ipecacuanha.
Helleborus foetidus.
Spigelia marilandica.
Setæ dolychos.
Semen santonici.
Mercurius.

ANTIFEBRILIA.

Quæ materiem febrium intermittentium corrigunt.

Indicantur in morbis a febre intermittente ortis: ut in oedemate vel alio tumore febrem excipiente.

Antifebrilia sunt:
Cortex peruvianus.
Chamomilla.
Extractum aconiti.
Flores arnicæ.
Radix caryophillatæ.

ANTIDOTA.

Quæ venenis resistunt.

Indicantur in morbis a veneno animali, vegetabili vel minerali ortis.

Vide de antidotis *Toxicologiam.*

ANTIRHACHITICA.

Quæ virus rhachiticum corrigunt.

Indicantur in morbis a viru rhachitico ortis: nempe in tumoribus, ulceribus & gibbo rhachitico.

Antirhachitica sunt:

Sal tartari.
— Sodæ.
Rubia tinctorum.
Ostracodermata.

ANTIHYDROPHOBICA seu ANTILYSSA.

Quæ virus animalis rabidi domant, ne hydrophobiam causet.

Indicantur in morsu animalis rabidi.

Antihydrophobica sunt:

Radix belladonæ.
Mercurius gummosus.
Tinctura cantharidum.
Nux vomica.
Vermis majalis.



MATERIA
MEDICO-CHIRURGICA
SPECIALIS.

ELENCHUS GENERALIS.

MATERIÆ MEDICO - CHIRURGICÆ.

Amylacea.
Mucilaginea.
Lactea.
Oleoſa.
Gelatinoſa.
Subinſipida.
Saponacea.
Acriuſcula.
Acria.
Dulcia.
Narcotica.
Amara.
Amaricantia.
Aromatica.
Adſtringentia.
Balſamica.
Gummi - reſinoſa.
Sulphurea.
Spirituoſa.
Acida vegetabilia.

Acida mineralia.

——— dulcificata.

Salina alcalina volatilia.

——— ——— fixa.

——— neutra.

Terrea.

Metallica.

Aquoſa.


Animalia.

Emetica.

Eccoprotica.


Purgantia.





ELENCHUS SPECIALIS

MATERIÆ MEDICO-CHIRURGICÆ.



AMYLACEA.

Avena.

Hordeum.

Maltum.

Oriza.

MUCILAGINEA.

Althea.

Malva.

Semen lini.

Gummi arabicum.

LACTEA.

Amygdalæ dulces.

Semen cucurbitæ.

—— melonis.

—— citrulli.

—— cucumeris.

Semen papaveris albi.
—— cannabis.
Lac vaccinum.
Cremor lactis acidulus.

OLEOSA.

Oleum amygdalarum dulcium.
—— olivarum.
—— lini.

GELATINOSA.

Gelatina cornu cervi.
Vitellus ovi.
Jus viperinum.

SUBINSIPIDA.

Radix chinæ.
—— ſarſaparillæ.
—— carecis arenariæ.
—— graminis.
—— ononidis.
—— ſcorzoneræ.
—— bardanæ.
Braſſica oleracea.
Herba lycopodii clavati.

Herba violæ tricoloris.

Radix anchuſæ.

Quercus marina.

SAPONACEA.

Sapo venetus.

Saponaria.

ACRIUSCULA.

Beccabunga.

Cochlearia.

Naſturtium hortenſe.

—— criſpum.

—— aquaticum.

Barbarea.

Salicornia.

Radix armoraciæ.

—— raphani nigri.

—— allii.

Hb. Alliariæ.

Arnica.

ACRIA.

Radix colchici.
—— ſcillæ.
Hb. aconiti.
— flamulæ jovis.
— pulſatillæ nigricantis.
Cortex mezerei.
Hb. Sabinæ.

DULCIA.

Mel.
Saccharum.
Daucus.
Paſſulæ majores.
Carica.
Lympha betulæ.

NARCOTICA.

Opium.
Hyoſciamus niger.
—— albus.
Cicuta.
Belladona.

Solanum nigrum.

Nux vomica.

Folia laurocerasi.

A M A R A.

Lignum quassiæ.

Radix gentianæ.

Herba anagallidis.

—— trifollii fibrini.

—— eupatorii.

Cortex peruvianus.

Rad. Mungos.

Semen santonici.

Radix aristolochiæ anguicidæ.

A M A R I C A N T I A.

Semen santonici.

Radix valerianæ.

—— scrophulariæ.

—— saponariæ.

Herba virgæ aureæ.

—— veronicæ.

—— marrubii albi.

Radix cichorei.

Radix taraxaci.
—— rubiæ tinctorum.
—— Vincetoxici
Stipites dulcamaræ.
—— Diervillæ.
Cortex ulmi intermedius.
Lichen islandicus.
Herba fumariæ.
—— euphrasiæ.
—— tussilaginis.
Flores sambuci.
Semina xanthii.

AROMATICA.

Radix calami aromatici.
—— contrajervæ.
—— serpentariæ.
—— enulæ.
Lignum santali citrini.
—— pimpinellæ.
—— sassafras.
—— guajaci.
Baccæ juniperi.
Stipites aristolochiæ trilobatæ.
Semen phellandrii.
—— piperis nigri.

Semen carvi.

Fœniculum.

Herba cerefolii.

—— mari veri.

—— menthæ crispæ.

—— rorismarini ſylveſtris.

—— rorismarini vulgaris.

ADSTRINGENTIA.

Herba anſerinæ.

—— pentaphylli.

—— ſaniculæ.

—— lamii albi.

Folia fraxini.

—— uvæ urſi.

bellidis minoris.

Glans quercina.

Fungus melitenſis.

Succus catechu.

BALSAMICA.

Balſamum copaivæ.

—— peruvianum.

—— Rackaſiri.

Terebinthina.

Turiones pini.

GUMMIRESINOSA.

Gummi ammoniacum.
—— Opopanax.
Resina guajaci.
Sarcocolla.
Asa fœtida.
Camphora.

SULPHUREA.

Sulphur.
Fuligo.

SPIRITUOSA.

Spiritus vini.
Vinum.
Cerevisia.

ACIDA VEGETABILIA.

Acetum vini.
Cremor tartari.
Fol. acetosæ.
— acetosellæ.
Succus citri.

Succus limoniorum.
—— aurantiorum.
Pomum.
Morum.
Ribes rubrum.
Roob ſambuci.
— ebuli.

ACIDA MINERALIA.

Spiritus vitrioli.
—— ſalis.
—— nitri.
Sal ſedativum Hombergii.

ACIDA DULCIFICATA.

Spiritus vitrroli dulcis.
—— ſalis dulcis.
—— nitri dulcis.
Naphtha vitrioli.
—— aceti.

ALCALINA VOLATILIA.

Spiritus ſalis ammoniaci fluidus.
Sal volatile cornu cervi.

ALCALINA FIXA.

Sal tartari.
— sodæ.
lixivium saponariorum.

SALINA NEUTRA.

Nitrum.
Sal culinare.
— ammoniacus.
Tartarus tartarisatus.
Terra foliata tartari.
Sal mirabile.
Tartarus vitriolatus.
—— solubilis.

TERREA.

Lapides cancrorum.
Testæ ovorum.
—— ostrearum.
—— cochlearum.
Osteocolla.
Os sepiæ.

METALLICA.

Antimonium.

Sulphur auratum antimonii.
Tinctura antimonii THEDIANA.
Mercurius gummosus.
—— dulcis.
—— sublimatus corrosivus.
—— præcipitatus albus.
—— —— ruber.
—— calcinatus.
—— acetosus.
—— nitratus.
—— tartarisatus.
Æthiops mineralis.
Cinnabaris.
Arsenicum.

AQUOSA.

Aqua calida.
—— frigida.
—— marina.
—— calcis.

ANIMALIA.

Spongia marina.
Millepedes.
Moschus.
Cantharis.
Vermis majalis.

EMETICA.

Radix ipecacuanhæ.

Tartarus emeticus.

Vitriolum album.

ECCOPROTICA.

Manna.

Pulpa tamarindorum.

—— caſſiæ.

—— prunorum.

Rhabarbarum.

Sal amarus.

— de Seignette.

Sal mirabile.

Cremor tartari.

Oleum ricini.

Magneſia alba.

PURGANTIA ACRIORA.

Scamonium.

Aloë.

Jallapa.

Senna.

Gratiola.

Seneka.

Lobelia.

Digitalis.



MATERIA MEDICO-CHIRURGICA.

AMYLACEA.

AVENA.

AVENA sativa L. Haber.

ODOR nullus; SAPOR farinaceus.

VIRTUS. Decoctum avenæ est diluens, emolliens, refrigerans, tenui mucilagine obvolvens.

USUS. In febre inflammatoria, quæ vulnerum, fracturarum & tumorum inflammatoriorum comes est, pro potu ordinario cum nitro datur.

DOSIS. Avenæ mundatæ ℥ij cum aquæ ℔iij ad ℥xvj coquantur, & colatura detur potui.

HORDEUM.

HORDEUM distichum L. Gerste.

ODOR nullus; SAPOR farinaceus.

VIRTUS. Magis obvolvens & plus nutriens quam avena est.

USUS. Hordei decoctum cum nitro & oxymelle simplici in iisdem morbis ac decoctum avenæ convenit.

DOSIS. Hordei mundati ℥ij cum aquæ ℔ij ad remanentiam ℥xvi decoquantur.

MALTUM HORDEI.

Est *hordeum* sub incipiente vegetatione siccatum. *Gersten - Malz.*

ODOR nullus; SAPOR farinaceus.

VIRTUS. Aere fixo resistit putredini & scorbuto, mucilagine obvolvit acrimoniam, usu protracto alvum solvit.

USUS. Ulcera putrida & scorbutica egregie curat,* tumores oedematosos resolvit. **

DOSIS. ℥ij malti hordei in mensura aquæ fontanæ coquantur per ¾ horæ, dein seminis foeniculi ℈iv

---

* *Cel.* MACBRIDE'S *Systemat. Einleitung in die theoretische und practische Arzneykunst.* p. 1035. Ejusdem *Historische Nachricht von einer neuen Methode den Scorbut auf der See zu heilen. Cel.* COLLIN *observ. circa morbos acutos & chron. fact.* P. IV. *Flor. arnicæ & musti hordei usus. Viennæ* 1773. p. 137.

** *Cel.* DOBSON *Abh. über die med. Kräfte der fixen Luft.* p. 39.

addantur, hæc per horas 4 in loco calido ſtent infuſa, dein colaturæ ℔ij vel ℔iij quotidie vaſculatim potentur.

ORYZA.

Oryza ſativa L. Reis.

Odor nullus; Sapor farinaceus.

Virtus nutriens, obvolvens, alvum nimis laxam conſtipans.

Usus in morbis ab acrimonia, in alvi fluxu a pure e vulneribus abſorpto.

Dosis. Oryzæ mundatæ ℥ij cum aquæ ℔ij ad ℥xvi coquantur.

MUCILAGINEA.

ALTHEÆ RADIX.

Althæa officinalis L. Eibiſchwurzel.

Odor nullus; Sapor mucilagineus.

Virtus emolliens, involvens, lubricans.

Usus. Decoctum radicis altheæ in gonorrhæa inflammatoria & in dyſuria calculoſa datur.

Dosis. Radicis ʒiij cum aquæ ℔j coquantur.

HERBA MALVÆ.

Malva rotundifolia L. Pappelkraut.

Odor nullus. Sapor mucilaginoſus.

Virtus emolliens, lubricans, inviſcans.

Usus. Decoctum malvæ in iisdem morbis ac radicis altheæ decoctum datur.

Dosis. Herbæ pugilli 4 cum aquæ ℔j. coquantur.

SEMEN LINI.

Linum uſitatiſſimum L. Leinſaamen.

Odor vix ullus. Sapor fatuus, muciloginoſus.

Virtus relaxans, emolliens, obvolvens.

Usus. Infuſum in ſtranguria, gonorrhæa inflammatoria laudatur.

Dosis. Seminis ℥iij ad ℔j aquæ fervidæ infundantur.

GUMMI ARABICUM.

Mimosa nilotica L. Arabiſcher Gummi. Ex trunco arboris ſauciato ſtillat.

Odor nullus. Sapor nullus.

Virtus obvolvens, incraſſans, leniens.

Usus Decoctum gummi arabici ſalivationem & anginam mercurialem moderatur, & lenit. * Pulvis gummi arabici urinæ ardorem mitigat.


* *Cel.* Percival *Eſſays medical and experiment.* Tom. 2.

Dosis. *Decoctum arabicum*: ℞. Aquæ hordei ℔ij, coq. in ea gummi arabici ℥ij, nitri puri ʒij, facchari albi ℥j. m. omni hora vafculum coffeale hauriatur.

In *pulvere* ʒß bis vel ter de die datur.

Mucilago ex ℥iv in ℔j aquæ coctis paratur.

Mucilago gummi arabici olea preffa, balfama liquida, refinas folidas: ut camphoram, & demum hydrargyrum vivum ope trituræ in aqua fufpendit adeo, ut hæc medicamina facile fub forma emulfionis dari poffint.



LACTESCENTIA.

AMYGDALÆ DULCES.

Amygdalus communis dulcis L. Süfse Mandeln.

Odor debilis; Sapor dulcefcens, mitis.

Virtus. Emulfio refrigerans, obvolvens, nutriens, antiphlogiftica..

Usus. Emulfio amygdalarum cum nitro in febre vulneraria, in morbis inflammatoriis, in urinæ ardore & hæmorrhagiis datur.

Dosis. Amygdalarum dulcium ℥ij cum aquæ puræ ℔iiß in emulfionem redigantur. Collaturæ ℔ij adde nitri depurati ʒij & facchari albi ℥j. Detur vafculum coffeale omni hora.

SEMEN CUCURBITÆ seu PEPONIS.

Cucurbita Pepo L. Kürbiskerne.

Odor nullus. Sapor amygdalinus, pinguiusculus.

Virtus temperans, obvolvens.

Usus pro emulsione refrigerante.

Dosis. ℥j sem. cum ℔j aquæ emulgeatur.

SEMEN MELONIS.

Cucumis Melo L. Melonenkerne.

Odor nullus; Sapor lacteus.

Virtus temperans, obvolvens. Diu oleum in his seminibus non rancescit, hinc tuto pro emulsionibus adhibentur.

Usus pro emulsione antiphlogistica. Frustum melonis ano instar suppositorii ad sistendum fluxum hæmorrhoidum nimium intruditur. *

Dosis. ℥j sem. cum ℔j aquæ emulgeatur.

SEMEN CITRULLI.

Cucurbita Citrullus L. Wassermelonenkerne.

Odor nullus; Sapor amygdalinus.

Virtus obvolvens, temperans.

Usus Pro emulsione temperante in febre vulneraria & tumoribus inflammatoriis.

Dosis. ℥j sem. cum ℔j aquæ emulgeatur.

* *Cel.* Lange *misc. verit.* p. 104.

SEMEN CUCUMERIS.

Cucumis ſativus L. Gurkenkerne.

Odor nullus; Sapor amygdalinus, magis tamen pinguiuſculus.

Virtus temperans, obvolvens.

Usus. Ad parandas emulſiones refrigerantes. Fruſtum fructus ano immittitur pro ſiſtendo fluxu nimio hæmorrhoidali.

Dosis. ℥j ſem. cum ℔j aquæ emulgeatur.

SEMEN PAPAVERIS ALBI.

Papaver ſomniferum L. Weiſſer Mohnſaamen.

Odor nullus; Sapor amygdalinus, pinguiuſculus.

Virtus obvolvens, nutriens, at minime narcotica.

Usus. Pro emulſione.

Dosis. ℥j ſem. cum ℔j aquæ emulgeatur.

SEMEN CANNABIS.

Cannabis ſativa L. Hanfſaamen.

Odor vix ullus; Sapor ſubfatuus.

Virtus emolliens, involvens.

Usus. Infuſum in gonorrhæa * & dyſuria inflammatoria laudatur.

---

* *Ill.* Tode *erleichterte Kenntniſz und Heilung eines gemeinen Trippers* p. 309. Infuſum cannabis non adeo nauſeoſum eſt ac infuſum ſeminum lini, quod etiam in gonorrhæa laudatur. p. 271.

Dosis. Seminis ℥ß cum aquæ ℥iv in emulſione vel cum ℥vj in infuſo datur.

LAC VACCINUM.

Eſt chylus mammarum fabrica ſecretus. *Kühemilch.*

Odor nullus; Sapor dulceſcens, proprius.

Virtus nutriens, obvolvens, antiſcorbutica.

Usus in morbis ſcorbuticis, in contabeſcentia corporis ab ulcere, vel ab hæmorrhagia prægreſſa, in cancro.

Dosis. ℔j vel ij de die.

CREMOR LACTIS ACIDULUS.


Eſt cremor lactis *aceſcens. Milchrahm.*

Odor nullus. Sapor acidulus.

Virtus refrigerans, obvolvens.

Usus. In faucium & oeſophagi ambuſtione a deglutito cibo nimis calido, aut læſione harum partium a corpore heterogeneo vulnerante, cremorem lactis inveni perutilem.

Dosis. Cochleatim deglutiatur.



O L E O S A.

OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM.

Oleum blandum ex amygdalis dulcibus preſſum. *Mandelöl*

Odor & Sapor nullus.

Virtus lubricans, obvolvens, ſpaſmos relaxans.

Usus. In ſpaſmis aut tetano a nervo læſo; in incarceratione ſpaſmodica herniarum, in ſtranguria.

Dosis ab ℥j ad ℥ij vel ultra.

OLEUM OLIVARUM.

Oleum blandum ex olivis preſſum. *Olivenöl.*

Odor, ſi recens, vix ullus; Sapor blandus.

Virtus relaxans, obvolvens, lubricans.

Usus. In viperæ anglicæ morſu ſpecificum eſt. * Quid in canis rabidi morſu & hydrophobia inde orta præſtet, tentandum. **

Dosis ab ℥jjj ad ſex & plures datur.

OLEUM LINI.

Oleum blandum ex ſemine lini preſſum. *Leinöl.*

Odor vix ullus. Sapor ingratus, facileranceſcens.

Virtus lubricans, obvolvens, alvum reſerans.

Usus. In hernia a ſpaſmo vel foecibus induratis incarcerata ſæpe alvum reſerat, ubi alia remedia fallunt.

Dosis. Ab ℥j ad plures omni hora datur.

---

* *Ill.* Murray *ap. med.* T. 2. p. 47. omnia tentamina recenſet cum hoc oleo in morſu viperarum peracta.

** *Fränk Samml.* 1. *B.* p. 490.

GELATINOSA.

GELATINA CORNU CERVI.

Gelatina ex cornu cervi extracta. *Hirschhorngalerte.*

Odor nullus; Sapor blandus.

Virtus nutriens, defectum humoris nutrititii restituens.

Usus. In vulneribus, ulceribus & fracturis ossium, quæ ob humorum defectum aut senium aut humorum acrimoniam sanari nequeunt.

Dosis. ℥ß gelatinæ in ℥vj juris bubuli dilutæ datur aliquoties de die.

VITELLUS OVI.

Vitellus Ovi gallinacei L. Eyerdotter.

Odor nullus; Sapor blandus.

Virtus nutriens, bilem spissam vi saponacea resolvens. *

Usus. Intumescentiam vesiculæ felleæ, a ductu cistico bile picea vel calculo obstructo ortam, curat.

Dosis. Ovum integrum, id est albumen cum vitello crudo seu non cocto in ℔ß aquæ frigidæ dilutum aliquoties de die hauritur. **

---

* *Cel.* White *von dem Nuzen der rohen Eyer bey der Gelbsucht* in *Samml. für Aerzte.* 2. *B.* 1. *St.* p. 89.

** *Cel.* Weikard *medic. Schriften* 4. *B.* p. 204.

JUS VIPERARUM.


COLUBER *Vipera L.* vel COLUBER *Berus L. Viper.* Jus pulli cum vipera coctum jus viperinum constituit.

ODOR nullus; SAPOR valde gelatinosus; INDOLES gelatinoso-alcalina.

VIRTUS nutriens, antacida, sudorifera, valde resolvens.

USUS in morbis cutaneis, in lepra, * in spina ventosa.

DOSIS. Vipera abjectis cauda & capite in frusta secta cum juris pulli libris duabus ad remanentiam libræ unius coquitur; colatura mane per tres septimanas quotidie assumitur.



INSIPIDA.

RADIX CHINÆ.

SMILAX *China L. ChinaWurzel, PokenWurzel.*

ODOR & SAPOR vix ullus.

VIRTUS mundificans, temperans, involvens.

* *Ill.* DE HAEN *med. T.* 9. p. 246. & T. 10. p.311. nec non *Ill.* MURRAY *de vermibus in lepra obviis. Göttingæ.* 1769. p. 52.

Usus. Decoctum dat rubrum, saporis expers, cui pro cujuslibet lubitu sapor conciliari et pro potu ordinario dari potest in morbis acrimoniosis.

Dosis. radicis ℥j in ℔j aquæ coquatur ad remanentiam ℥viij.

RADIX SARSAPARILLÆ.

Smilax Sarsaparilla L. Sassaparille.

Odor vix ullus; Sapor farinosus, vix amaricans, obvolvens.

Virtus. Principio amylaceo, amaricante mundificans, resolvens.

Usus. Decoctum est frequentissimi usus in morbis venereis,* tumoribus rheumaticis, arthriticis & in ulcere cancroideo nasi. ** Infantibus venereis pulvis sarsaparillæ panatellæ aut pulticulæ admiscetur. ***

Dosis. Radicis ℥iij. coquantur in aquæ ℔iij ad colaturam ℔ij, singulo die hauriantur.

---

* *Medical observat. and. inquir.* I. vol. p. 149. *Cel.* Fordayce decoctum sarsaparillæ valde laudat in doloribus venereis, scabie, ulceribus & emaciatione siphilitica.

** *Cel.* Brisban *select. Cases in the Practice off. Med.* p. 28.

*** *Cel.* Harris *de morbis infantum* p. 233. Infantes a nutricibus infecti facillime sanari dicit, etiamsi maculæ, ulcera & nocturni dolores adsint, si decoctum ac farina sarsaparillæ panatellis aut pulticulis admisceantur.

CAREX ARENARIA.

CAREX *arenaria L. Sandriedgras.*

ODOR radicis nullus; SAPOR graminaceus.

VIRTUS. Similes cum pretiosa sarsaparilla vires in morbis venereis exserit. *

USUS in morbis venereis.

DOSIS. ℥jj rad. in ℔jj aquæ ad remanentiam ℔iß coquantur.

RADIX GRAMINIS.

TRITICUM *repens L. Graswurzel.*

ODOR frumentaceus; SAPOR debiliter dulcescens.

VIRTUS aperiens, mundificans.

USUS in ulceribus & tumoribus pituitosis, rheumaticis.

DOSIS. ℥j radicis cum aquæ ℥xiv ad remanentiam ℔j coquatur.

RADIX ONONIDIS.

ONONIS *spinosa L. Hauhechel.*

ODOR leguminosus, fœtidiusculus. SAPOR leguminosus ut pisi siccati.

VIRTUS aperiens, diuretica, interdum valde movens.

---

* *Cel.* GLEDITSCH *in Histoire de l'Académie des Sciences à Berlin.* T. 24. & *alph. Verzeich. der Arz-ey.* p. 55.

Usus in iſchuria calculoſa, * in ſarcocele & hydrocele. **

Dosis. Pulveris ʒj bis de die datur, vel radicis ononidis ℥j in ℥xiv aquæ coquantur & ℔j detur quotidie pro doſi.

RADIX SCORZONERÆ.

Scorzonera hiſpanica L. wilde Scorzoner Wurzel.

Odor nullus; Sapor ſubinſipidus, ſubdulceſcens.

Virtus aperiens, temperans.

Usus in morbis variis chirurgicis pro potu ordinario.

Dosis. ℥j radicis cum ℔j aquæ coquatur ad remanentiam ℥viij.

RADIX BARDANÆ.

Arctium lappa L. Kletten Wurzel.

Odor vix ullus; Sapor vix amaricans.

Virtus mundificans, diuretica, diaphoretica

---

* *Cel.* Bergius *mat. med.* T. I. p. 600. decoctum rad. ononidis inſigne levamen in iſchuria calculoſa attuliſſe vidit.

** *Ill.* Acrel. tres ægros hydroſarcocele affectos uſu rad. ononidis plenarie curatos vidit, etiam *Ill.* Bergius ſarcocelen in viro ſene reſolutam obſervavit. Etiam ego bis ononidem in hydrocele proficuam vidi.

Usus

Usus in tumoribus arthriticis, * rheumaticis, ulceribus crurum antiquis, in morbis venereis, in ſabulo renum & veſicæ. **

Dosis. ℥j radicis cum ℔j aquæ ad remanentiam ℥viij coquatur.

BRASSICA OLERACEA.

Brassica oleracea. L. Weiſſer Kohl.

Odor nullus; Sapor oleraceus.

Virtus antiſcorbutica.

Usus. Braſſica *acidulata* ſeu muria condita eſt egregium remedium in præcavendo & curando ſcorbuto. ***

Dosis. Manipuli duo quotidie inſtar acetarii cum vel ſine aceto vini comedantur, vel manipulus foliorum recentium cum juris bubuli ℔j ad remanentiam ℥viij decoctus, bibatur.

---

* Pauli *quadrip.* 401.

** *N. Act. N. C. vol.* 5. p. 195.

*** *Ill.* Pringle *Means for. preſerving the health of mariner* p. 29. ſingulo nautæ libra una bis vel pluries per hebdomadem data 119 homines per triennium ſanos ſervavit. Ego nuper in meo noſocomio hominem toto corpore maculis ſcorbuticis defœdatum intra 4 ſeptimanas uſu ſolo crudæ braſſicæ muriatæ tempore hyemali integre curavi.

HERBA LYCOPODII.

Lycopodium clavatum L. Bärlapp. Gürtelkraut. Plicaria. *

Odor vix ullus; Sapor debilis.

Virtus. Specificum in plicà polonica censetur. **

Usus in plica polonica.

Dosis. Poloni ex lycopodio & branca ursina decoctum parant, cui fermentum addunt, ac dein pro potu ordinario adhibent.

HERBA VIOLÆ TRICOLORIS.

Viola tricolor. L. Fraysamkraut. Jacea tricolor.

Odor gratus, in flores naphæ incidens; Sapor glutinosus, gratus.

Virtus herbæ *recentis* subemetica, laxans; *siccatæ* depurans, diuretica.

Usus in crusta lactea infantum, & inde ortis morbis specificus. *** Adhibito hocce per octo dies remedio papulæ plurimæ erumpunt; etiam in his, qui vel nullas vel parcas crustas ante habebant, totaque facies crusta crassissima obducitur, quod dubiis parentibus antea indicare expedit, ipsaque

---

* A virtute ejus plicæ evolutionem promovente sic dicitur.

** *Cel.* Bernicz *Misc. N. C. dec.* I. *anni* 2. *ob.* 52. *Sch.* p. 94.

*** *Cel.* Strack *de crusta lactea infantum. Francofurti ad Mœnum.* 1779. p. 45.

urina, si odoris ante expers fuit, nunc tetrum odorem fere ut felis lotium accipit.

Dosis. Herbæ recenter siccatæ ℥j cum ℔j aquæ ebullientis infundatur. Potest dein cum lacte misceri. Vel pulveris ʒj in lacte cocta quotidie datur.

RADIX ANCHUSÆ.

Anchusa tinctoria L. Ochsenzunge.

Odor & Sapor nullus. Extractum vero amaricans.

Virtus rubro-tinctorio; resolvens censetur.

Usus. *Unguentum potabile rubrum* quod ex radicibus hisce vino rubro meceratis & butyro non salito recente coctis constat, ad discutiendum sanguinem ex contusione interne stagnantem & coëuntem olim in pretio fuit. At cave, ne rancíditate magis noceat; ulcera inveterata hac radice exsiccari olim creditum fuit. *

Dosis. Unguentum ad ℥j in vehiculo calido olim dabatur.

QUERCUS MARINA.

Fucus vesiculosus L. Meergraseiche.

Odor fortis, peculiaris; Sapor leviter subsalsus.


Virtus resolvens, septica, antiscrophulosa.

---

* *Ill.* Boerhaav. *Hort. L. B. T.* I. p. 273. Pasta radicis Alkanæ ossa in pullo intumuerunt. *Mémoires de l'Acad. des Sc. de Paris* 1746. p. 102.

Usus. In veſiculis ſuis laticem continet fucus hicce, quo perfricati glandularum tumores prompte detumeſcere ſolent. Salubre inde pabulum ſuibus paratur, quæ ſcrophulis laborant. * Planta hæc marina vaſe tecto in pulverem nigrum uſta, *Æthiops vegetabilis* dicitur, qui ad glandularum indurationes, ſcrophulasque eximie laudatur. ** Etiam in ſtruma, & in dyſphagia glanduloſa oeſophagi convenit. ***

Dosis a ʒj ad ʒij.



SAPONACEA.

SAPO VENETUS.

Eſt maſſa ſolidiuſcula ex oleo olivarum & alcali fixo ope calcis vivæ exacuato conſtans. *Venediſche Seife.*

Pro uſu interno præſtat ſapo *frigide* paratus, ne oleum ſub coctione ranceſcat. ****

---

* *Cel.* BORLASE *obſervations on the ancient and present ſtate of the Islands of Sylli Lond.* 1756.

** *Cel.* RUSSEL *diſſ. de tabe glandulari ſive de uſu aquæ marinæ in morbis glandularum. Oxonii* 1750. & *Cel.* MEIER *diſſ. de æthiope vegetabili. Erlangæ* 1774.

*** *Cel.* VAN GEUNS in *Verhandelingen de Weetenſchaapen te Harlem XI. Decl.* 1769.

**** *Ill.* BERGIUS l. c. p. 17.

Odor vix ingratus; Sapor pinguis, ſalſus.

Virtus aperiens, detergens, ſolvens.

Usus in ſcirrho, tumoribus lacteis mammarum, in ſcrophulis, in calculo. *

Dosis. Optime datur ad ℈ij vel ℈iij in forma pilulari

HERBA SAPONARIÆ.

Saponaria officinalis L. Seifenkraut.

Odor fere nullus; Sapor ſubglutinoſus, amaricans.


Virtus ſaponacea, detergens, eſt ſapo aceſcens, maculas pingues ex linteo eluens.

Usus. In obſtructionibus glandularum, in tumoribus arthriticis, rheumaticis, in præparatione pro cura mercuriali, in morbis venereis.

Dosis. *Herbæ* pugilli duo cum ℔j aquæ infundantur. *Radicis* ℥ß cum aquæ ℔j ad ℥iv decoquatur.

---

* *Ill.* Bergius vidit nobilem ſenem ſeptuagenarium ſaponis ℥ß cum amaris maritati & aquæ calcis ℔ß addito pauxillo lactis per integros 10 annos quotidie contra calculum magno cum levamine ſumſiſſe. Per totum hoc tempus cibum bene appetivit, macillentus non factus, quin potius pinguis & vegetus fuit.



ACRIUSCULA.

FOLIA BECCABUNGÆ.

VERONICA Beccabunga L. Bachbungen..

ODOR debilis. SAPOR amaricans, ſubſtipticus, acriuſculus.

VIRTUS antiſcorbutica.

USUS in ſcorbuticis ulceribus & contractura crurum.

DOSIS. Succi ℥ij vel ℥iij in jure vel ſero lactis dantur.

HERBA COCHLEARIÆ.

COCHLEARIA officinalis L. Löffelkraut.

ODOR ſubnaſturcinus, debilis; SAPOR amaricans, in ore & faucibus mordens.

VIRTUS antiſcorbutica, diuretica.

USUS. In morbis ſcorbuticis primarium eſt remedium.

DOSIS. *Succi* recentis ℥iij cum jure bubulo dantur. Vel *herbæ* recentis cum juris ℔j ad ℥x decoquantur. Vel *ſeminis* ʒj in electuario exhibetur.

NASTURTIUM HORTENSE.

LEPIDIUM ſativum L. Gartenkreſſe.

ODOR herbæ recenter contuſæ fragrans. SAPOR ſubamaricans, acris, fauces calefaciens.

VIRTUS ſolvens, diuretica, antiſcorbutica.

Usus in morbis ſcorbuticis.

Dosis. Manipulus unus quotidie crude comedatur vel cum lactucæ connubio. Vel eadem quantitas cum juris ℔j ad ℥x decoquatur. Vel pulveris ʒj in electuario detur.

NASTURTIUM CRISPUM.

Nasturtium hortenſe, criſpum L. Gekrauſter Gartenkreſſe.

Odor debilis; Sapor gratior, dulceſcens, acrior, quam in naſturtio ſativo.

Virtus & Usus præcedentis.

NASTURTIUM AQUATICUM.

Sisymbrium naſturtium L. Brunnenkreſſe.

Odor debilis; Sapor ſubamaricans, leviter acriuſculus.

Virtus antiſcorbutica.

Usus in morbis ſcorbuticis.

Dosis. Ab ℥ij ad ℥iij apte mitigatus cum ſucco acetoſæ, beccabungæ, aurantii quotidie potetur. Vel manipulus unus cum juris ℔j ad ℥x decoquatur. Vel ſeminis ʒj in electuario detur.

BARBAREA.

Erysymum Barbarea L. Winterkreſſe. Waſſerſenf.

Odor fere braſſicæ; Sapor ſubamaricans, ſubacriuſculus.

Virtus antiſcorbutica. Tota hieme folia ſub nive virent.

Usus in morbis ſcorbuticis.

Dosis. Forma acetarii manipuli quidam quotidie comedantur.

SALICORNIA.

Salicornia herbacea L. Salzkraut.

Odor nullus; Sapor ſalſus, ſubmordax.

Virtus antiſcorbutica.

Usus in morbis ſcorbuticis.

Dosis. Aceto condita per hiemem facile ſervatur & ut acetarium comeditur.

RADIX ARMORACIÆ.

Cochlearia Armoracia L. Meerretich. Raphanus ruſticanus.

Odor pungens, penetrans, oculos feriens. Sapor acris, fervidus, pungens, ſæpe amaricans, nares, oculos, pulmones irritans. *Cocta* aut *ſiccata* radix iners.

Virtus antiſcorbutica, diuretica, incidens.

Usus in morbis ſcorbuticis, in tumoribus arthriticis * & oedematoſis.

---

* *Ill.* Bergius *m. m.* p. 559. vim antarthriticam obſervavit. Ego vim antihydropicam.

Dosis. Radicis rasæ cochleare unum majusculum omni mane per mensem sumendum, vel manipuli quatuor cerevisiæ recentis congio uni ante fermentationem in sacculo immittantur, & æger de die ad libitum inde bibat.

RADIX RAPHANI NIGRI.

Raphanus niger L. Schwarzer Retich.

Odor subfragans. Sapor acris, calidiusculus, præsertim partis corticalis.

Virtus antiscorbutica, diuretica, ructatrix.

Usus in scorbuto.

Dosis. Radices quædam cum cortice nigro quotidie comedantur.

RADIX ALLII.

Allium sativum L. Knoblauch.

Odor fragrans, graveolens. Sapor acris.

Virtus diuretica, antiscorbutica, emmenagoga.

Usus in morbis scorbuticis, oedmatosis.

Dosis. Mane & vesperi una ac sensim duæ spicæ comedantur per plures septimanas. Vel spica una in electuario. Vel spicæ iij ex juris ℥viij ad ℥vj decoquantur.

HERBA ALLIARIÆ.

ERYSIMUM Alliaria L. Knoblauchskraut.

ODOR braſſicæ. SAPOR herbæ recentis cepaceus, ſubnaſturtinus, amaricans. Herba *ſiccata* fere effoeta eſt.

VIRTUS. Antiſcorbutica, diuretica.

USUS in ſcorbuto.

DOSIS. Herbæ manipulus unus cum aquæ ℥vj infundatur.

FLORES ARNICÆ.

ARNICA montana. L Wolverley ſeu *Fallkraut.*

ODOR florum graveolens, ſternutationem movens. SAPOR acriuſculus.

VIRTUS reſolvens, nervos & vaſcula cerebri irritans, diuretica, diaphoretica, emmenagoga, quandoque emetica.

USUS. Cerebri vel alius viſceris commotio, * inde *Pana-*

---

* Paralyſim a commotione cerebri & Paraplegiam cum retentione urinæ ac alvi a contuſione ſpinæ dorſi infuſo florum arnicæ ſanavi, in alio ægro paralyſim veſicæ hoc remedio curavi.

cea lapſorum dicitur, * amauroſis, ** tumores rheumatico-chronici & tumores abdominis febriles, *** atque morbi a paralyſi per eam curantur.

Radix in diarrhœa colliquativa a pure ex ulcere vel vulnere abſorpto datur.

DOSIS. Ab exigua doſi incipiendum, ne flores moleſtiam in ventriculo creent. A florum ʒj mane & veſperi ad ℥ß pro die in ℔j aquæ vel cereviſiæ tenuis ferventis infuſa aſcendendum eſt. Radix a ℈j ad ʒj datur.

RADIX VINCETOXICI.

ASCLEPIAS *Vincetoxicum L. Schwalbenkraut. Hirundinaria.*

ODOR recentis radicis fortis, nauſeoſus; SAPOR ſubacris.

VIRTUS reſolvens, diuretica.

USUS. In ſtrumis ac ſcrophulis decoctum valuit. ****

DOSIS. Radicis ℈j vel ʒß in pulvere, ʒij cum ℥viij aquæ in infuſo dantur vel in decocto.

---

* *Act. Berol. Dec.* 1. Vol. 1. n. 4. atque *Cel.* BUHCER *Diſs. de genuinis principiis & effectibus Arnicæ. Erf.* 1741. Ad centena ſua experimenta provocat *Cel.* SCOPOLI *Fl. Carn.* 1. p. 377.

** *Cel.* COLLIN obſ. p. 5. & ſeq. infuſo arnicæ 91 amauroticos curavit.

*** *Cel.* COLLIN l. c.

**** *Eph. N. C. Dec.* 1. *ann.* 1. n. 57. p. 153.

ACRIA.

RADIX COLCHICI.

COLCHICUM autumnale L. Herbstzeitlosen.

ODOR tempore æstivo hircinus, nares faucesque irritans. SAPOR acris, linguam faucesque rodens, rigidas faciens, diu inhærens. Tempore autem autumnali sapor longe debilior & subfarinosus est.

VIRTUS diuretica., solvens. *

USUS. In tumoribus hydropicis & oedematosis datur ejus acetum vel oxymel colchici; in hydrocele & hydrope articuli bis bonum vidi effectum.

DOSIS. *Oxymellis* ℥ß vel ʒj de die datur.
Aceti colchici ʒj ad ℥ß in mixtura.

RADIX SCILLÆ.

SCILLA maritima L. Meerzwiebel.

ODOR radicis recentis vix ullus; SAPOR acris, intensius amarus, nauseosus. Sapor *siccatæ* radicis amarus, at minus acris.

---

* *Ill. L. B. de* STOERCK *libellus de Colchico autumnali.*

VIRTUS incidens, diuretica, quandoque emetica, hydragoga. Si levem facit nauſeam, fortius movet urinam.

USUS. In tumoribus oedematoſis datur.

ABUSUS. Diutius data ſcilla appetitum & vires ventriculi proſternit; ubi hepar ſcirrhoſum, ardor viſcerum, & pulſus durus aſcitem & tumores oedematoſos comitatur, ſcilla nocet.

DOSIS. *Pulveris* recentis grana IV cum arcani duplicati ℈j, pulveris autem exſiccati ℈ß in electuario datur.

Oxymellis ſcillitici ab ℥j ad ℥iß.

Vinum ſcilliticum, ex radicis ſcillæ ℥ß & vini boni ℔ij componitur; ſumitur mane ac veſperi ℥ß.

HERBA ACONITI.

ACONITUM Napellus L. Eiſenhütlein.

ODOR fortis; SAPOR herbaceus.

VIRTUS ſolvens, antirheumatica, majori doſi torminoſa, venenata. *

USUS. In tumoribus arthriticis, rheumaticis, & oedematoſis a febre intermittente ortis. **

DOSIS. Extractum a grano uno ad ℈ß bis de die cum ſaccharo datur.

---

* *Ill. I. B. de* STOERCK *libellus, quo demonſtratur ſtramonium, hyoſciamus, aconitum &c. Vindobonæ.* 1762.

** *Schwed. Abh.* 38. *B.* p. 72.

HERBA FLAMMULÆ JOVIS.

CLEMATIS erecta L. Brennkraut.

ODOR debilis; SAPOR acris, fauces linguamque stimulans.

VIRTUS movens, solvens, diuretica, sudorifera, sæpe alvum movens.

USUS. In lue venerea, & doloribus ossium nocturnis. *

DOSIS. ℥ij ad ℔j aquæ infundantur, & ter vel quater de die hauriatur vasculum. Pulvis ad grana iij cum saccharo datur, bis de die. *Extractum* simili modo.

HERBA PULSATILLÆ NIGRICANTIS.

ANEMONE pratensis. L. Küchenschelle.

ODOR vix ullus. SAPOR acris, inhærens faucibus.

VIRTUS diuretica, irritans, emmenagoga.

USUS. Extractum in oculorum morbis, panno & amaurosi laudatur. **

DOSIS. A grano uno ad ℈ß ascendendum & cum saccharo dandum.

---

* *Ill. I. B. de* STOERCK *libellus de flammula Jovis. Viennæ* 1769.

** *Ill. I. B. de* STOERCK *libellus de pulsatilla nigricante. Vindobonæ* 1771.

RADIX MEZEREI.

Daphne Thymelæa L. vel *Daphne Mezereum. Kellerhals. Seidelbast.*

Odor nullus; Sapor, si diu masticatur, valde acris, fauces exurens.

Virtus solvens obstructiones, quandoque emetico-drastica.

Usus. Decoctum in tophis venereis & doloribus nocturnis, * in tumoribus induratis tonsillarum, ** testiculorum, colli, parotidum exhibetur.

Dosis. Radicis mezerei ʒij, radicis sarsaparillæ ℥iij cum ℔iv aquæ coquantur ad ℔ij remanentiam; hujus decocti ℔ß quater de die hauriatur.

HERBA SABINÆ.

Juniperus Sabina L. *Sevenbaum. Sadebaum.*

Odor foetidus, gravis. Sapor amaricans.

---


* *Medical observ. and. inquir.* T. 3. p. 789. *Cel.* Russel 16 casibus demonstrat nodos duros tibiarum, faciei, brachiorum, qui sæpe magnitudinem nucis juglandis æquabant, sive fuerint manifeste siphilitici sive minus, intra mensem solo decocto corticis recentis fuisse resolutos, doloremque sedatum. Interdum curam mercurio sublimato sublevavit. Sed in vera exostosi parum profuit hic cortex. Profuit tamen in binis tophis, ubi caries subfuit, facta exfoliatione.

** *Cel.* Home *Clinische Versuche* p. 501. ad 506.

Virtus ſolvens, * emmenagoga **

Usus in morbis externis a catameniis ſuppreſſis originem ducentibus. Etiam in carie tentanda herba.

Dosis. *Herbæ* ℨß in pulvere, ℥ß herbæ cum ℔j aquæ vel cum aquæ ℔iß in decocto datur.



DULCIA.

MEL VIRGINEUM.

Eſt ſuccus ſalino-oleoſo-mucilagineus ab *Ape mellifera L.* ex nectariis florum collectus atque intra favos repoſitus. *Honig.*

Mel *virgineum* dicitur, quod ſua ſponte ex favo defluit.

Odor fragrans, haud ingratus; Sapor dulcis, ſubacriuſculus.

Virtus abſtergens, reſolvens, putredini reſiſtens, maturans, alvum & urinam aliquantum movens, expectorans, atque conſolidans.

Usus. Ad ulcera crurum & aliarum partium ſananda.

---

* Sanguini decocta folia fluiditatem conciliant & rubedinem intenſam. *Cel.* Freind *Emmen.* Op. 1. p. 207.

** *Cel.* Home *Clin. Verſuch.* p. 451. ex quinque foeminarum retentione menſtruorum laborantium quatuor ſanabantur.

Dosis

Dosis. Ab ℥j ad ℥ij & ultra de die cum lacte sumatur.

SACCHARUM.

Saccharum officinarum L. Zuker. Est sal essentiale *Arundinis sacchariferæ. L.* Constat ex proprio acido & phlogisto.

Odor nullus; Sapor dulcissimus, sapidissimus.

Virtus saponacea, relaxans, antiseptica.

Usus in ulceribus.

Dosis. Ab ℥j ad plures de die exhiberi potest.

DAUCUS SATIVUS.

Daucus Carota. L. Gelbe Rüben. Gelbe Möhrn.

Odor radicis recentis subaromaticus, non ingratus; Sapor dulcescens, leniter aromaticus.

Virtus nutriens, aperiens, anticancrosa.

Usus. In cancro & morbis scorbuticis præbet bonum victum.

Dosis. Cruda radix una alterave comedenda.

PASSULÆ MAJORES.

Uvæ siccatæ *Vitis viniferæ L. Grosse Rosinen.*

Odor nullus. Sapor subacidulo-dulcis.

Virtus antibiliosa, antiscorbutica, refrigerans.

Usus. Decoctum in morbis biliosis, scorbuticis, & oedematosis cum cremore tartari, in morbis inflammatoriis cum nitro datur.

Dosis. ℥j cum aquæ ℔j ad ℥viij coquitur.

CARICA PINGUIS.

Ficus Carica L. Trokene Feigen.

Odor vix ullus. Sapor dulcis, melligenus.

Virtus edulcorans, emolliens.

Usus. Dococtum ficuum cum cremore tartari acidulatum est egregium in iisdem morbis, in quibus decoctum passularum laudavimus.

Dosis. ℥j cum aquæ ℔j ad ℥viij decoquatur.

LYMPHA BETULÆ.

Betula alba L. Birkensaft. Est succus tempore vernali ex trunco arboris terebra efforato stillans.

Odor nullus. Sapor subdulcescens.

Virtus antiscorbutica, diuretica.

Usus in scorbuto, scabie & aliis morbis cutaneis.

Dosis. *Succus* ad ℔j hauritur tempore vernali.

Extractum foliorum betulæ in erysipelate chronico & tumoribus arthriticis laudatur.

NARCOTICA.

OPIUM.

PAPAVER *ſomniferum L. Mahnſaft.* Eſt ſuccus reſinoſo-gummoſus ex inciſo capite papaveris exſtillans.

ODOR opii orientalis validus, narcoticus. SAPOR nauſeoſus, amaricans, acris, caloris ſenſu labia, linguam & palatum adficiens.

VIRTUS anodyna in *parva doſi*, ſoporifera in *majori doſi*, demum diaphoretica, alvum ſiſtens. *Nimia doſi* venenum.

USUS. Convenit in omni irritabilitate aucta ſyſtematis nervoſi: * hinc in dolore, vigiliis protractis, convulſione, ſpaſmo aut tetano, ** a vulnere inductis, vel ab ulcere dolente, nervum rodente,

* *Cel.* PUHR *diſſ. de uſu opii chirurgico Göttingæ* 1780.

** *Medical obſ. and Inquiries 4. Volumina*, quorum quodlibet fere caſus de tetano a vulnere orto & opio curato continet. Ego & *Cel.* THEDEN in tetano vulneratorum a putredine orto opio corticem peruvianum admiſcere ſolemus. Si a refrigeratione vulnerati ortum habet, ſal volatile cornu cervi in connubio cum opio dari poteſt. Alii celeberrimi practici præter opium frictiones mercuriales ſimul adhibent. Alii addunt opio moſchum.

excitatis ſymptomatibus. Ideo omnibus graviter vulneratis, ante & poſt omnes magnas operationes chirurgicas primis ſtatim horis opium cum oleo vel emulſione datur, ut irritabilitas nervorum, a terrore excitata, compeſcatur.

Convenit demum in omni tumore inflammatorio incipiente, ſi cum nitro detur, viis primis depuratis & vaſis ſanguineis per venæſectionem evacuatis. Nocet autem præſente jam febre, plethora, ſaburra.

In gangræna ſicca doloroſa, * digitorum pedis, in lue venerea, ** in incarceratione ſpaſmodica herniarum, *** in hydrophobia, **** in diarrhæa ſymptomatica morborum chirurgicorum demum efficax eſt medicamentum.

Dosis. Granum unum plerumque ſufficit: at in tetano ægroti ingentem doſim opii ſine inducto ſopore vel alio malo ſymptomate ferunt; hinc in hoc

* *Ill.* RICHTER *Anfangsgründe der Chir.* I. Band. p. 25.

** *Cel.* SCHÖPFF *von der Wirkung des Mohnſafts in der Luſtſeuche.* p. 7. dicit ſe ſine mercurio ulcera aliosque morbos venereos curaſſe permultos, & p. 9. Turcis aliisque gentibus orientalibus luem ſiphiliticam ob opii frequentem uſum adeo eſſe raram.

*** *Ill.* RICHTER *Abh. von Brüchen* I. *B.* p. 116.

**** *Cel.* NUGENT *eſſays on the hydrophobia.*

morbo granum unum omni bihorio dandum. *

LAUDANI liquidi SYDENHAMI guttæ dantur quindecem: hæ enim unum opii granum continent.

PULVIS anodynus DOVERI, ex opii & ipecacuanhæ aa gr. ij, tartari vitriolati & nitri aa gr. viij, quæ omnia una dosi haurienda, constat. Ipecacuanha opii vim ita mitigat, ut ejus ampla dosis ingeri possit. Hic pulvis egregium sudoriferum est, quod ad curanda symptomata, a cerebri commotione excitata, laudatur. **

HERBA HYOSCIAMI NIGRI.

HYOSCIAMUS niger L. Schwarzes Bilsenkraut.

ODOR narcoticus, tabacinus. SAPOR narcoticus, subdulcis, submucilagineus.

---

* Si vero opium in tetano quid præstat, tunc id solummodo magna dosi præstat: *Cel.* FARR in *med. observ. and. inq. vol.* 4. unius diei spatio grana 36 opii, *Cel* WINSLOV in *collectan. Hafn.* tertia quaque hora guttas 26 laudani liquidi Sydenhami, *Cel.* WHITE intra quinque hebdomadum spatium grana 317 opii egregio cum successu exhibuit. Mirum enim est, tetano affectos ægrotos opii maximam dosim sine omni incommodo ferre.

** *Chirurgical observation and Cases by W.* BROMFIELD. *Lond.* 1773. *Vol.* I. & *Ill.* RICHTERS *Ch. Biblioth.* 2. B. 2. St. p. 116.

VIRTUS narcotica, antiſpaſmodica. * Agit ut opium at alvum non adeo ſupprimit.

USUS in tetano & convulſionibus a nervo læſo.

DOSIS. Extractum a grano j ad v bis de die.

HERBA HYOSCIAMI ALBI.

HYOSCIAMUS albus L. weiſſes Bilſenkraut.

ODOR narcoticus, tabacinus; SAPOR narcoticus, ſub-mucilagineus.

VIRTUS narcotica, at mitior, quam in hyoſciamo nigro.

USUS. Extractum in cataracta incipiente laudatur. **

DOSIS. A medio grano incipiendum & aſcendendum, donec nulla œſophagi nariumve ſiccitas obſervetur.

CICUTÆ HERBA.

CONIUM maculatum L. Schierling.

ODOR fœtidus, murinus. SAPOR leniter aromaticus, ſubnauſeoſus. * * *

---

* *Ill. L. B. de* STOERCK *libellus de ſtramonio, hyoſciamo &c.*

** *Ill.* SAUVAGES *Noſol.* T. I. p. 724. pluribus obſervationibus compertum ſe id habere refert. Hoc extractum cum mercurio dulci combinatum valde proficuum reperit *Cel.* MOLINELLI. Vid. *Ill.* MURRAY *pract. Bibl. Vol.* 2. *p.* 153.

*** *Ill.* STOERCK *libellus de cicuta.*

Virtus resolvens, anodyna, suppurationem promovens, diuretica.

Usus in scrophulis & cancro scrophuloso, * in ulceribus sordidis, in morbis cutaneis, in tumoribus rheumaticis, in gonorrhæa & leucorrhæa, ** in impotentia virili, in cataracta incipiente, in sarcocele, in spina ventosa, in malis venereis inveteratis, in ozoëna, in polypo narium. ***

Dosis. *Extractum* a ʒß de die datur. *Pulvis* foliorum a gr. iij cum sacchari ℈j, *Succus expressus* ad duo parva cochlearia exhibetur. Pilulæ e pulvere sic conficiuntur:

℞. Pulv. herb. cicutæ ℥ß, Saponis veneti ʒij, Syrup. cort. aurant. q. s. f. pil. gr. ij. S. mane ac vesperi quinque assumantur.

RADIX BELLADONÆ.

Atropa Belladona L. Tollkraut. Solanum furiosum.

---

* *Cel.* Birchen, licet dicat, cicutam in vero cancro nocere augendo contabescentiam ob materiæ ichorosæ stillicidium auctum, tamen cicutam in cancro scrophuloso curam perfecisse testatur.

** *Ill.* Bergius p. 195.

*** *Cel.* Hotesierck *Recuel d'observat.* T. II. Polypus cancrosus usu cicutæ suppuratione consumptus excidebat.

ODOR vix ullus. SAPOR acriuſculus, ſubnarcoticus.

VIRTUS narcotica, antiſpaſmodica, ſudorifera: *nimia* autem *doſi* venenata. *Foliorum* vis eſt radice debilior.

USUS. In morſu canis rabidi ſpecificum cenſetur. Sudore corporis vel excitata partis morſæ inflammatione curat. * Demum in cancro laudatur. **

DOSIS in rabidi canis morſu:

Radicis grana quindecim adulto dantur.

Infanti ſexenni gr. quinque.

—— quadrienni gr. iij vel 3½. Idque mane vel in aqua vel cereviſia calida. Repetitio prima fiat poſt 48 horas, ſecunda & tertia iterum poſt horas 48. bis vel ter.

Pecoribus grana XVII ſufficiunt, ſed per 12 horas a pabulo arcenda ſunt.

Extracti ℈ß datur. *Foliorum* a granis duobus ad quinque cum aquæ ℔j. infunduntur.

Pilulæ de belladona ℞. Extract. cicutæ, pulveris fol. belladonæ aa ℨj m. f. pil. gr. j. S. mane ac veſperi aſſumantur quinque.

---

* *Ill.* RICHTER *Chirurg. Biblioth.* 5. *B.* 2. *St.* p. 377. & 5. *B.* 3. *St. p.* 557.

** Numeroſiſſimos caſus ſiſtit *Reverendus* MÜNCH ſcirrhi & cancri aperti curati in *Hann. Magazin a* 1767. n. 64. & a 1768. n. 14. item a. 1769. n. 62. 90. 94. 95.

HERBA SOLANI NIGRI.

SOLANUM nigrum L. Nachtſchatten.

ODOR foetidus; SAPOR ſubfatuus.

VIRTUS anodyna, ſudorifera, diuretica, *majori doſi* venenata.

USUS in carcinomate, ulceribus malignis cutis. *

DOSIS. A grano j hora veſpertina dato ſenſim aſcendendo ad grana plura.

NUX VOMICA.

STRYCHNOS Nux Vomica L. Krähenaugen.

ODOR nullus; SAPOR valde amarus.

VIRTUS tonico-narcotica.

USUS. In *Ceylona* ut ſpecificum contra morſum Colubri Najæ propinatur. ** In ulceribus ſcorbuticis, cancreſcentibus, *** herpeticis & in rabie canina ab aliis laudatur.

DOSIS a *granis* quatuor ad ℈ß bis de die.

---

* *Cel.* GATAKER *obſ. on the uſe of the ſolanum or Nightſhade. Lond.* 1757.

** *Cel.* LE GRAND in notis ad J. RIBERYO *Hiſtoire de l'isle de Ceylan.* p. 154.

*** *Cel.* WIEL *diſs. de uſu nucis vomicæ & vitrioli albi.* p. 13. &c.

FOLIA LAUROCERASI.

Prunus laurocerasus L. Kirschlorbeerbaum.

Odor vix ullus ; Sapor validus subſtipticus, amaricans, amygdalarum amararum, verum fortior.

Virtus narcotica, antiſpaſmodica, diuretica, majori doſi venenata, præſertim feris.

Usus. Aqua ſtillatitia foliorum ad reſolvendos ſcirrhos & cancros laudatur. *

Dosis. Guttæ 30 ad 60 ter quaterve de die dantur. Etiam externe applicatur.



AMARA.

LIGNUM QUASSIÆ.

Quassia amara L. Quaſſia-Holz. Bitterholz.

Odor nullus; Sapor amariſſimus.

Virtus roborans, antiputredinoſa, antacida.

Usus. In ulcere cancroideo faciei internus & externus uſus profuit, ut vidi.

Dosis. ℥ß in aquæ puræ ℔vj ad dimidiæ conſumptionem decoquatur, atque quovis bihorio ℥iij propinentur.

* *Practical Eſſays on medical ſubjects. Lond. 1773.*

RADIX GENTIANÆ.

GENTIANA lutea L. Enzianwurzel.

ODOR debilis; SAPOR amariſſimus.

VIRTUS tonica, antiputredinoſa, ſtomachica.

USUS. In morſu viperæ tentanda. * in ſcrophulis infantum **

DOSIS. *Radicis* ℨij cum aquæ ℔j ad ℥viij coquantur.

HERBA ANAGALLIDIS.

ANAGALLIS arvenſis L. Gauchheil.

ODOR nullus; SAPOR amarus cum acrimoniæ ſenſu.

VIRTUS ſolvens, aperiens.

USUS. In morſu canis rabidi perperam laudatur. ***

DOSIS. *Herbæ* ℈ij in pulvere bis de die dantur.

---

* *Cel.* LAURENTI *Synopſis reptilium emendata. Viennæ* 1768. p. 212.

** Puellæ ſcrophuloſæ quotidie grana decem extracti gentianæ ingeſſi, deglutiit hæc amarum hoc extractum cum ſumma voluptate & integre inde ſanata fuit, at ſanatam amplius perſuadere non potui, ut adhuc hoc extractum continuaret.

*** Licet decoctum in morſu canis rabidi a multis authoribus commendetur, incaſſum tamen hoc adhibitum fuit ab aliis. *Ill.* HALLERI *ſtirp. helv.* n. 625. *Med. ob. and Inq. Vol.* 5. *App.* p. 2. &c.

HERBA TRIFOLII FIBRINI.

Menyanthes trifoliata L. Bitterklee. Fieberklee.

Odor nullus; Sapor amariſſimus.

Virtus tonica, antiſcorbutica.

Usus in ulceribus & aliis morbis ſcorbuticis. *

Dosis. *Herbæ* pugillus cum ℔j aquæ infundatur.

HERBA EUPATORII.

Eupatorium cannabinum L. Waſſerdoſten.

Odor fortis; Sapor valde amarus.

Virtus reſolvens, diuretica, depurans, eccoprotica, quandoque emetica.

Usus in cruribus tumidis & ulceroſis, in hydrocele, ulceribus ſcorbuticis.

Dosis. *Herbæ* pugillus cum aquæ ℥iv infundatur.

CORTEX PERUVIANUS.

Cinchona officinalis L. Fieberrinde. Peruvianiſche Fieberrinde

Odor mucidus; Sapor amarus, auſteriuſculus, inhærens.

---

* *Cel.* Francus *trifolii fibrini hiſtoria* in ſcorbuto dicit medelam attuliſſe trifolium, ubi cochlearia fefellit. Buchan *Handb.* p. 600. In Anglia ſuccus ejus domeſticum eſt apud ruſticos in exanthematibus foedis ſcorbuticis, quibus verno tempore corripiuntur.

VIRTUS tonica, antiseptica, antifebrilis, suppurationem promovens, antiperiodica.

USUS. In gangræna * & omnibus morbis putridis: ut in vulneribus & ulceribus putridis, in angina gangrænosa, in cancro, ** in ulceribus, fistula ani, carie, spina ventosa.

In scrophulis *** & omnibus vitiis scrophulosis: ut ulceribus, spina ventosa, tumore articulari, strumoso, ophthalmia scrophulosa, scirrho scrophuloso mammæ, inguinum, axillarum, præsertim si cortex cum mercurio datur. Demum in lepra. ****

In vulneribus male suppurantibus, ***** in gangrænam vel tetanum pronis, præsertim tempore æstivo & in climate calido, ****** in remanente debi-

---

* Authores huc pertinentes vide in *Ill.* MURRAY *Ap. med.* T. 1. p. 605.

** *Act. N. C. vol.* 10. *App.* p. 153. & *Cel.* DIETRICHS *observ. de usu cort. peruv. in cancro mammarum Ratisbonæ* 1746.

*** *Cel.* FORDYCE in *medi. obser. and. Inqu.* T. I. p. 184. & T. II. p. 265.

**** *Cel.* HERBERDEN in *medical. trans.* Vol. I. p. 34. & 36.

***** *Cel.* RAMBY *method of treating. Gon-shot wounds. Ed.* 2. p. 29. saniosam materiem in pus bonum vertit cortex.

****** *Cel.* BISSET *med. Essays.* p. 79. & p. 101. In America, dicit: vix vulnera graviora absque cortice curari possunt; ejus ope avertuntur convulsiones, in climate calido vulneratis adeo funestæ.

litate ac irritabilitate corporis & viſcerum a prægreſſa commotione cerebri vel alius viſceris. *

In morbis *periodice* recurrentibus: ut in odontalgia periodica, in dolore periodico ſupercilii, ** in nyctalopia. ***

Non vero conducit cortex peruvianus præſente inflammatione confirmata, plethora, ſaburra primarum viarum, neque in necroſi digitorum pedis doloroſa, niſi addatur opium, & in necroſi indolente ſal volatile cornu cervi ****

Dosis. Omni bihorio ʒß & urgente neceſſitate ʒj datur.

RADIX MUNGOS.

Ophiorrhiza Mungos L. die Brillenſchlangenwurzel.

Odor nullus; Sapor intenſe amarus.

Virtus roborans. Specifica in morſu Najæ & in veneno Macaſſarienſi *****.

---

* *Cel.* Mursina *Beobacht.* 1. *Sammlung.* p. 53.

** *Journal de Médecine.* Vol. 25. p. 442.

*** *Medical. obſervat. and inquir.* Vol. 1. p. 3.

**** *Cel.* Bromfield in *Ill.* Richter *Ch. Bibl.* 2. *B.* 2. *St.* p. 124.

***** Vide *Toxicologiam.*

Usus. Morſis a Naja radix trita ex vino datur & pulvis vulneri inſpergitur. Hæc radix a *VIVERRA Ichneumene L.* devoratur, ſi a Naja mordetur.*

Dosis. *Radicis* a ʒß ad ʒj in pulvere exhibetur cum vino.

RADIX ARISTOLOCHIÆ ANGUICIDÆ.

ARISTOLOCHIA anguicida L. Schlangenoſterluzey.

Odor nauſeoſus. Sapor amarus.


Virtus anticolubrina. Odor ſerpentibus tam ingratus, ut oblata modo radice aufugiant. Succus radicis maſticatione ſalivæ commiſtus, ſi inſtillatur ſerpenti gutta una vel altera, adeo per tempus inebriatur, ut impune tractari queat. Pluribus guttis moritur. Hoc circumforaneorum artificium eſt, quo quæſtus cauſa venenatas ſerpentes contractant.

Usus Vulneri a ſerpente recens inflicto radix impoſita & ſimul interne exhibita periculum avertere dicitur. *

Dosis. Radicis ʒß in pulvere datur.

---

* *Cel.* JACQUIN *Sel. ſtirp. american.* p. 232.



AMARICANTIA.

SEMEN SANTONICI.

Artemisia judaica L. Wurmſaamen. Semen cinæ.

Odor fortis, peculiaris; Sapor amarus, ſubacris.

Virtus roborans, anthelmintica.

Usus in morbis externis, qui a vermibus primarum viarum oriuntur.

Dosis. Semina ad cochleare unum vel bina pro thea in pulvere, vel pani melle oblito inſperſa dantur. Semen ſaccharo incruſtatum infantibus præbetur.

RADIX VALERIANÆ.

Valeriana officinalis L. Gemeiner Baldrian.

Odor fragrans, graveolens; Sapor ſubdulceſcenti-amaricans.

Virtus roborans, antiſpasmodica, diaphoretica, diuretica, emmenagoga, anthelminthica.

---

* *Ill.* Linne *ſyſt. N. T.* I. p. 63.

Usus

Usus in debilitate visus, * in alvi & urinæ incontinentia a lapsu. **

Dosis. Radicis ʒij quotidie dantur forma pulveris.

RADIX SCROPHULARIÆ.

Scrophularia nodosa L. *Braunwurzel.*

Odor fœtidus; Sapor amarus, acriusculus.

Virtus anodyna, resolvens.

Usus. In scrophulis & hæmorrhoidibus tumentibus laudatur. ***

Dosis. Radicis ʒj in pulvere, vel ʒij cum aqua ℥vj in decocto dantur.

HERBA VIRGÆ AUREÆ.

Solidago Virgaurea L. *Heidnisch Wundkraut.*

Odor debilis, aromaticus. Sapor amaricans, calidiusculus.

---

* Dedi juveni a studiis nimiis & nimia seminis evacuatione fere amaurotico per tres menses pulverem valerianæ optimo cum successu.

** *Cel.* Brisbane *select cases* p. 37.

*** *Cel.* Slevogtii *diss. de scrophularia.* *Jenæ* 1720.

VIRTUS tonica, vulneraria, diuretica.

USUS. Pro decocto vulnerario in vulneribus & ulceribus. *

DOSIS. Herbæ pugilli duo cum aquæ ℥viij infundantur.

HERBA VERONICÆ.

VERONICA officinalis L. Ehrenpreis.

ODOR debilis; SAPOR amaricans, ſubadſtringens.

VIRTUS vulneraria.

USUS in vulneribus, ulceribus & ſcabie.

DOSIS. Herbæ pugilli duo cum aquæ ℥viij infundantur.

HERBA MARRUBII ALBI.

MARRUBIUM vulgare L. Weiſſer Andorn.

ODOR moderate fragrans. SAPOR amaricans.

VIRTUS ſanguinem attenuans; ** antiſalivatoria, ſpecifica in morſu caudiſonæ ſerpentis. ***

---

* *Cel.* LISCHWITZ *diſſ. de virgis aureis.* p. 78. qui ulcus urethræ curavit, & *Cel.* SCOPOLI *Flor. carn.* p. 328. qui in vulneribus quibuscunque decocto utiliter ſe uſum eſſe aſſeverat.

** Sanguis, cui decoctum marrubii adfuſum, rubicundior & fluidior evadit. *Cel.* FREIND *Emmenol.* T. I. oper. p. 208.

*** *Cel.* LEVISON *Beſchr. der lond. Praxis* p. 205. ſuccum ex marrubio & plantagine preſſum doſi unius cochlearis laudat.

Usus in tumoribus induratis præfertim hepatis, in ptyalismo mercuriali. *

Dosis. Herbæ pugilli duo cum aquæ ℥viij infundantur.

RADIX CICHOREI.

Cichorium Intubus L. Cichorienwurzel.

Odor nullus; Sapor grate amaricans.

Virtus aperiens, tonica, diuretica, antifcorbutica.

Usus idem ac taraxaci.

Dosis. Radicis ℥ß cum juris ℥x ad ℥viij decoquatur.

RADIX TARAXACI.

Leontodon Taraxacum L. Pfaffenröhrlein. Löwenzahn. Dens leonis.

Odor nullus. Sapor leniter amaricans.

Virtus folvens, aperiens diuretica, hinc *Lectiminga* dicitur.

Usus. Oedemata crurum & alii morbi ab obftructione hepatis orti fucco recenti fæpe curantur. In

* *Ill.* Linn. *Fl. fuec.* n. 531. ptyalismum, qui a mercurio in juvene venereo excitatus ultra annum duraverat, infufo marrubii brevi fublatum fuiffe dicit.

morbis cutaneis chronicis: ut herpete, lepra * & ſcrophulis, laudatur.

Dosis. ℥ij ſucci recentis cum juſculo & ovi vitello per plures ſeptimanas imo menſes dentur. Vel herbæ & rad. recentis manip. duo juris ℔j ad ℥viij decocti potentur.

RADIX RUBIÆ TINCTORUM.

Rubia tinctorum L. Färberröthe. Krappe.

Odor fere ut corticis ſorbi. Sapor amaricans, leniter ſtipticus, ingratus.

Virtus adſtringens, diuretica, emmenagoga, ** diutius propinata inficit oſſa & aliquos humores colore kermeſino. ***

---

* Succo taraxaci & fumariæ fœmina ab infantia leproſo exanthemate affecta aliis fruſtra tentatis convaluit. *Cel.* Leidenfrost *diſſ. de ſuccis herbarum recentibus* p. 27.

** *Cel.* Home *Cliniſche Verſuche* p. 460. ex 19 fœminis, fluxu menſtruo carentibus, 14 ſanabantur.

*** Exhibetur animalibus radix in pulverem trita aqua lacteque ſubacta vel furfuribus ſive farina miſta, vel in bolis vi intruditur. Quo junius eſt animal eo citius rubeſcunt oſſa. In columbis & pullis gallinaceis tertio vel quarto die a comeſta rubia exſtinctis, conſumtis vix drachmis duabus vel tribus, oſſa eleganter roſea evaſere. Interdum

Usus in ossium mollitie, in calli ossis fracti mollitie, in morbis a rachitide: ut ulceribus & tumoribus rachiticis, in dolore lumborum a nisu nimio. *

Dosis. Recipe rad. rubiæ tinctorum ℥ß, tartari solubilis ʒij, Aquæ communis pintas duas, leni igne coquantur per horam. Collaturæ adde mellis sinceri ℥ij. m. Infanti ablactato per diem ℥viij præbeantur. Si vero infans adhuc lactet, nutrix duplam quantitatem hauriat. **

Ego decoctum ex rubia tinctorum cum cortice peruviano & sale tartari, vel sodæ paratum magis efficax in rachitide deprehendi.

---

animalia sub experimento pereunt, generatim languent & extenuantur. Ossium substantia compacta magis rubet quam spongiosa. Item externa facies magis quam interna. Perit vero sensim rubedo ossis, si loco rubiæ permixtæ pabulo consuetum per aliquod tempus offertur. Etiam dentes evadunt rubri. Estque terra ossium, quæ potissimum coloratur. Ex humoribus urina, lac & foeces alvinæ potissimum colore rubro tinguntur. *Ill.* HALLERI *El. Phys.* T. 8. p. 327.

* *Cel.* LUDWIG in *Advers. med. pract.* Vol. I. p. 751. Dolores dorsi & lumborum a nisu tolli docet experientia bajulorum, qui se radice rubiæ sanant.

** *Cel.* LEVRET *Traité des accouchements* 1766. p. 277. laudat mox præscriptum decoctum. Licet spatium aliquot mensium curatio sibi vindicet, mature jam effectum percipi rectiori spinæ dorsi & ossium longorum figura & aliis bonæ notæ indiciis dicit.

STIPITES DULCAMARÆ.

SOLANUM Dulcamara L. Bitterſüſs. Alpranke.

ODOR ſtipitum ſiccatorum nullus; SAPOR amaricans.

VIRTUS mundificans, omnes excretiones augens, ſputa, menſes, ſudorem, urinam miasma, venereum expellens, antiſcorbutica.

USUS in tumoribus rheumaticis, arthriticis, in herpete, in ſcabie, in œdemate eryſipelaceo, in tophis & ulceribus venereis, in ulceribus crurum, in tumoribus lacteis, in contuſionibus. *

DOSIS. Stipitum dulcamaræ ℥j ac ſenſim ad ℥iiß aſcendendo, aquæ fontanæ ℥xvj, coquantur ad ℥viij, & hoc decoctum quotidie cum lacte dilutum bibatur

Extractum a granis quinque ad 10 bis de die detur.

STIPITES DIERVILLÆ.

LONICERA Diervilla L. Dierville.

ODOR & SAPOR nauſeoſus.

VIRTUS antivenerea.

---

* *Cel.* RAZOUX ſcorbutum conſummatum, cum exulcerationibus cancroſis & maculis junctum decocto devicit. *Mémoires de l'Acad. des Sc. de Paris* 1761. p. 55. & ejusdem *Tables noſologiques* p. 268. & *Journal de Medecine* T. 22. p. 236. & *Sammlung für prack. Aerzte* 6. B. 3. St. p. 449.

Usus. In America ſeptentrionali pro certo remedio in gonorrhæa, nec non urinæ ſuppreſſione habetur. *

Dosis. Pugillus ſtipitum cum ℔j aquæ infundatur.

CORTEX ULMI INTERMEDIUS.

Ulmus campeſtris L. Ulmbaumrinde. Rüſternrinde.

Odor nullus; Sapor debilis, ſubamaricans, glutinoſus.

Virtus adſtringens.

Usus in ſcabie ferina, ſquammoſa & aliis morbis cutaneis. **

Dosis. Corticis intermedii ramulorum gracilium ulmi ℥iv in aquæ puræ ℔ij coquantur ad remanentiam ℔j. Mane & veſperi ℥viij hauriantur.

HERBA MUSCI ISLANDICI.

Lichen islandicus L. Isländiſcher Moos.

Odor nullus; Sapor leniter amaricans.

---

* *Cel.* Kalms *Kärta Berattelſe om Norrå Americ växter* p. 13.

** *Cel.* Lysons *Medical. tranſact.* Vol. 2. p. 204. comprobat 5 caſibus uſum hujus corticis in ſcabie ſicca & humida aliisque morbis cutis. Scabiem ferinam, quæ ſalivationem mercurialem eluſerat, hocce decocto curavit. Non quidem cito at tuto curat.

VIRTUS herbæ recentis eccoprotica, *ſiccæ* nutriens, non eccoprotica.

USUS in contabeſcentia ab ulcere vel vulneris nimia ſuppuratione aut a ſalivatione mercuriali inducta.

DOSIS. Pulmentum ex ℥j muſci & lactis ℔ij paratum quotidie pro doſi datur.

HERBA FUMARIÆ.

FUMARIA officinalis L. Erdrauch.

ODOR oleraceus; SAPOR amarus, ſubingratus.

VIRTUS tonica, reſolvens, antiſcorbutica.

USUS in morbis cutaneis, in cachexia ulceroſa crurum, in ſcorbuto, in lepra.*

DOSIS. *Herbæ recentis* pugillus cum juris aut ſeri lactis ℔j infundatur, vel *Succi expreſſi* ℥ij cum jure dentur, aut conſervæ ℥ß.

HERBA EUPHRASIÆ.

EUPHRASIA officinalis L. Augentroſt.

ODOR debilis; SAPOR amaricans, debiliter adſtringens.

---

* *Cel.* LEIDENFROST *diſſ. de ſuccis herbarum expreſſis. Duisb.* 1751. *p.* 27. Exanthema leproſum ſolo taraxaci & fumariæ ſucco curatum. *Cel.* THOMSONS *med. conſult.* p. 161. diſparuit leproſa induratio glandularum cutanearum.

VIRTUS leniter adſtringens, tonica.

USUS in morbis oculorum: ut in nube ante oculos volitante, in incipiente amauroſi & maculis corneæ, * at ambigua ſunt experimenta quibus herbæ vis probatur.

DOSIS. *Herbæ* pugilli duo cum aquæ ℥viij infundantur.

HERBA TUSSILAGINIS.

TUSSILAGO Farfára L. Huflattich.

ODOR nullus; SAPOR ſubamarus, viſcidus, ſubauſterus.

VIRTUS vulneraria, antiſcrophuloſa.

USUS. Succus vel decoctum in ſcrophulis laudatur. **

DOSIS. Herbæ manipulus cum aquæ ℔j infundatur.

FLORES SAMBUCI.

SAMBUCUS nigra L. Hollunder. Flieder.

ODOR florum recentium fragrans; SAPOR amaricans.

VIRTUS diaphoretica, emolliens, lactifera.

---

* *Cel.* FRANCUS *Euphraſia herba, medicina polychreſta, verum oculorum ſolamen* 1717. Islandi ſuccum expreſſum pro optimo remedio in morbis oculorum habent. OLAFSEN *Reiſe vol.* I. *p.* 433.

** *Cel.* FULLER *gymnaſt.* p. 87.

Usus. In morbis cutaneis, præſertim in eryſipelate chronico cum lacte diu aſſumptus potus laudatur.

Dosis. Florum pugilli duo cum aquæ ℥viij infundantur.

SEMINA XANTHII.


Xanthium ſtrumarium L. Spizkletten. Betlerlauſe.

Odor nullus. Sapor amaricans.

Virtus reſolvens, antiſcrophuloſa, anteryſipelacea.

Usus in ſcrophulis, herpete & eryſipelate. *

Dosis. Semen ad ℨß datur in pulvere.



AROMATICA.

CALAMUS AROMATICUS.

Acorus Calamus vulgaris L. Kalmus. Acorus verus.

Odor radicis fragrans, fortis, nauſeoſus. Sapor aromaticus, nauſeoſus, acris, leniter amaricans.

Virtus ſtomachica, antiſeptica, antiſcorbutica, calefaciens, incidens, diuretica.

---

* Pulvis ſeminum ad ℨß datus in eryſipelate arcanum in Suecia fuit. *Ill.* Linne *Flor. Suec.* n. 864.

Usus in ſcorbuto, * in ulceribus carioſis.

Dosis. Sexies de die ℈jj radicis cum ℈j ſacchari albi dentur in forma pulveris vel electuarii. *Spiritus calami aromatici* interne ad aliquot drachmas dari poteſt. Pro potu antiſcorbutico cuilibet urnæ tenuis cereviſiæ adhuc calentis ℔ß radicis calami aromatici addi poteſt.

RADIX CONTRAJERVÆ.

Dorstenia Drakena L. Giftwurz.

Odor fragrans, gravis. Sapor ſubamaricans.

Virtus ſudorifera, alexiteria, antiſeptica.

Usus in gangræna & ulceribus febrium putridarum, & in debilitate gangrænoſa.

Dosis. *Radicis* ʒß in pulvere, electuario vel mixtura datur. Vel ʒij cum vini ℥vj infundantur.

RADIX SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ.

Aristolochia Serpentaria L. Schlangenwurzel.

Odor fragrans, fortis, balſamicus; Sapor aromatico-balſamicus, calidiuſculus.

Virtus diaphoretica, antiputredinoſa.

---

* *Ill.* Hoffmann *von Scharbock. Münſter* 1782. tres homines ſcorbuticos intra 5 vel 6 ſeptimanas radice calami aromatici curavit.

Usus in plica polonica, * in angina gangrænosa, ** & in morsu serpentis americani *Boicininga* dicti laudatur ***

Dosis. *Radicis* ʒß in pulvere vel mixtura; aut radicis ʒjj cum aquæ ℥vj infundantur.

RADIX ENULÆ.

Inula Helenium L. Alandwurzel. Helenium.

Odor violaceus; Sapor initio glutinosus, dein aromaticus.

Virtus antiscabiosa.

Usus in scabie; in hernia infantum binis casibus folia enulæ proficua vidi.

Dosis. *Radicis* ʒj in pulvere datur. *Foliorum* ʒiß cum aquæ ℥vj infundantur.

LIGNUM SANTALI CITRINI.

Santalum album L. weisses Sandelholz. Santalum *citrinum* est pars medullaris arboris; *album* vero est alburnum trunci.

Odor *citrini* fragrans, urinosus, pertinaciter inhærens. Sapor leniter aromaticus, vix amaricans. *Albi* odor & sapor est debilior.

---

* *Cel.* Hermannus *Primit. phys. med. Polon.* V. 1. p. 182.

** *Med. Ob. and. Inq. Vol.* 1. p. 219. sq.

*** *Cel.* Dale *Pharm.* p. 194.

Virtus ſudorifera, reſolvens.

Usus in morbis cutaneis.

Dosis. *Ligni* ℥ß cum aquæ ℔ij ad ℔j decoquatur.

RADIX PIMPINELLÆ NIGRÆ.

Pimpinella magna L. Bibernellwurzel. Shwarze. Pimpinelle.

Odor gratus; Sapor dulceſcens, parum aromaticus.

Virtus mundificans, reſolvens, diaphoretica, diuretica, ſtomachica.

Usus in achoribus, tinea, eryſipelate exulcerato, teſticulo venereo, tumoribus crurum aquoſis.

Dosis. *Radicis* ʒß in pulvere vel electuario, vel ʒij cum aquæ ℥vii in infuſo dantur. *Herbæ* pugilli duo cum aquæ ℥vj infundantur.

LIGNUM SASSAFRAS.

Laurus Saſsafras L. Saſſafraſs-Fenchelholz.

Odor fragrans, non ingratus, ad fœniculum accedens. Sapor aromaticus. *Corticis* odor ſaporque ſunt fragrantiores.

Virtus ſudorifera, diuretica, mundans.

Usus in ulceribus venereis, morbis cutaneis & tumoribus rheumaticis.

Dosis. *Ligni* ʒiß cum aquæ ℔j ad ℥x decoquatur. Vel *corticis* ʒj cum aquæ ℥vj infundatur.

LIGNUM GUAIACI.

GUAJACUM officinale L. Franzoſenholz. Lignum ſanctum.

ODOR debilis, reſinoſus; SAPOR amaricans, acriuſculus.

VIRTUS ſudorifera, diuretica, mundificans, antivenerea.

USUS in lue venerea, * in morbis cutaneis, in tumoribus rheumaticis.

DOSIS. Raſuræ *ligni* ℥j cum aquæ ℔j ad ℥viij decoquatur. Vel *Corticis* ʒvj cum aquæ ℔j ad remanentiam ℔j decoquantur.

JUNIPERUS.

JUNIPERUS communis L. Wacholder.

ODOR gratus, arromaticus. SAPOR aromaticus, gratus.

VIRTUS diuretica, diaphoretica, mundificans.

USUS in tumoribus oedematoſis, morbis venereis, ** ſcorbuticis & ſabulo urinario, ſcabie, vitiligine, *** gonorrhœa chronica, incipiente cataracta, **** puſtu-

* Ante inventum mercurii uſum in lue venerea, guajaci lignum fuit majoribus noſtris unicum in lue venerea remedium.

** Cel. SCOPOLI *Flora Carniol.* p. 405.

*** Cel. HENNICKE in *Act. Nov. N. Curioſ.* T. II. p. 124.

**** Cel. BRUCH *diſs. obſervat. practicar. de radicis frut. juniperi decocto.*

lis faciei. *Oleo juniperi* gonorrhæa & testiculi tumor dissipabatur. *

Dosis. *ligni* seu *radicis* ℥ß cum aquæ ℔ij ad ℥vj decoquatur.

Roob baccarum juniperi ad ℥ß datur.

Baccarum ℥ß cum aquæ ℔j ad ℥viij decoquatur.

Summitatum pugilli duo cum aquæ ℥viij infundantur.

SEMEN PHELLANDRII.

Phellandrium *aquaticum L. Wasserfenchel. Foeniculum aquaticum.*

Odor gravis. Sapor aromaticus, amaricans, calidus.

Virtus diuretica, vulneraria.

Usus ad ulcera sordida, scorbutica, cacoethica, spinam ventosam, herniam, ** ossium cariem & fistulas sananda laudatur. ***

Dosis. Pulvis ʒj ad ʒiß bis de die datur.

PIPER NIGRUM.

Piper *nigrum L. Schwarzer Pfeffer. Album piper* sua externa pellicula nigra caret.

Odor aromaticus; Sapor fervidus, acris, inhærens.

---

* *Cel.* Lange *med. Brunsv. dom.* p. 130.

** Enerstingius *Phellandrologia. Brunsv.* 1739. & *Cel.* Lange *vom Wasserfenchel:* p. 19.

*** *Ill.* Heisteri *diss. de hernia incarcerata suppurata. Helmst.* 1738. p. 42.

VIRTUS ſtimulans, hæmorrhoides movens.

USUS in morbis, qui a fluxu hæmorrhoidali ſuppreſſo oriuntur. *

DOSIS. Grana integra piperis albi numero vj ad ix hora ſomni deglutiantur repetitis vicibus.

SEMEN CARVI.

CARUM Carvi L. Wieſenkümmel.

ODOR grate aromaticus; SAPOR moderate calidus, aromaticus.

VIRTUS galactophora.

USUS in lactis ſubitanea evaneſcentia.

DOSIS. *Seminis* ʒij cum aquæ aut juris ℥vj infundantur.

SEMEN FOENICULI.

ANETHUM Foeniculum L. Fenchel. Foeniculum dulce.

ODOR ſeminis aromaticus, ſuavis; SAPOR calidiuſculus, dulceſcens, aromaticus.

VIRTUS galactophora.

USUS. Decoctum ex foeniculi dulcis radice, herba & ſemine deſtitutis lacte puerperis, vel quibus lac ſubito e mammis evaneſcit, datur. **

---

* *Cel.* UNZER *der Arzt, eine Wochenſchrift.* 3 *Band.* p. 161.

** *Cel.* BERGIUS in *N. Act. Upſ. Vol.* 1. p. 104.

DOSIS.

Dosis. Herbæ, radicis, & seminis aa pugillus unus cum ℔j aquæ infundatur, & colatura cum lacte & saccharo bibatur.

HERBA CEREFOLII.

Scandix Cerefolium L. Kerbelkraut. Chærefolium.

Odor, si herba fricetur, gratus, balsamicus. Sapor aromatico-balsamicus, ad foeniculum accedens.

Virtus aperiens, resolvens, diuretica, vulneraria.

Usus in scabie, herpete, rhagadibus manuum,* in ulceribus crurum & indurationibus mammæ, in ulceribus pulmonum.**

Dosis. *Succus* cerefolii ad ℥ij cum jusculo vel sero lactis mane ac vesperi datur, vel *Herbæ* cerefolii *recentis* Mij in sero lactis calide infundantur. *Extractum* cerefolii ad ʒj de die præberi potest.

HERBA MARI VERI.

Teucrium Marum L. Kazenkraut.

Odor fragrans, balsamicus, sternutationem movens; Sapor intensius amarus, bituminoso-aromaticus.

---

* Hominem rhagadibus manuum laborantem omnibus remediis incassum tentatis externo & interno usu cerefolii sanavi.

** Puer, cui spica alopecuri in pulmones deglutita, sub scapula exiens, ulcus in pulmones penetrans reliquerat, sero lactis dulci cum cerefoliis cocto sanabatur. *Schwedisch. Abhand. für* 1772.

VIRTUS tonica, nervina, resolvens.

USUS in commotione cerebri vel alius partis. *

DOSIS. ℈j omni quarta hora detur, vel herbæ pugilli duo cum aquæ ℥vij infundantur.

HERBA MENTHÆ.

MENTHA crispa L. Krausemünze.

ODOR fortis, fragrans, non admodum gratus; SAPOR calidus, aromaticus cum amaritie levi.

VIRTUS resolvens, lac attenuans.

USUS. Aqua menthæ cum oleo ope sacchari subacta lactis coagulum in mammis impedit vel resolvit.

DOSIS. *Herbæ* pugillus unus cum aquæ ℥iv infundatur. *Olei* guttæ iij vel iv cum saccharo tritæ dantur.

HERBA RORISMARINI SYLVESTRIS.

LEDUM palustre L. Post. Wald - Rosmarin.

ODOR fragrans, aromaticus, subnarcoticus. SAPOR aromaticus, leviter amaricans.

VIRTUS resolvens, diuretica, sublaxans, phthiriaca.

USUS in lepra, ** tinea, scabie, pediculis, varis faciei.

---

* *Ill.* BERGIUS *m. m.* p. 504. fœminam, quæ a lapsu jam tertiam septimanam lethargica fuit maro curavit.

** *Schw. Abh.* 35. *vol. Cel.* ODHELIUS casum refert ancillæ lepra nodulosa affectæ, in qua ex infuso ledi palustris plerique nodi sensim resoluti fuerunt, tum autem emaciata inopinanter moriebatur. WESTRING *diss. de ledo palustri. Upsal.* 1775.

Dosis. *Herbæ* ℥ij cum ℔iv aquæ fervidæ infundantur.

HERBA RORISMARINI VULGARIS.

ROSMARINUS officinalis L. Rosmarin.

ODOR fortis fragrans, non omnibus gratus; SAPOR calidus, acris, camphoraceus.

VIRTUS resolvens.

USUS. Infusum vel decoctum herbæ saccharo edulcoratum glandularum colli infarctum apud infantes dissipat,* in plica polonica efficax est. **

Dosis. *Herbæ* pugillus unus cum aquæ ℥iv infundatur.



ADSTRINGENTIA.

HERBA ANSERINÆ.

POTENTILLA Anserina L. Gänserich.

ODOR debilis; SAPOR leviter stipticus.

VIRTUS adstringens, diuretica.

USUS in empyemate. ***

---

* *Cel.* KUECHLER *diss. de glandulis colli puerorum tumefactis.* p. 47. Etiam *Ill.* HEISTERI *med. pract.* p. 264.

** Hebræo polonica plica laboranti infuso rorismarini arthritidem & cephalæam nuper sanavi.

*** *Ill.* ACREL *Ch. Vorfälle* p. 319. infusum herbæ siccæ ad ℔ij quotidie potatum in empyemate multum boni præstitisse vidit.

Dosis. *Herbæ* pugilli duo cum aquæ ℥viij infundantur.

RADIX PENTAPHYLLI.

Potentilla reptans L. Fünffingerkraut.

Odor debilis; Sapor ſtipticus.

Virtus adſtringens, diuretica.

Usus in ſabulo renum & veſicæ.

Dosis. *Herbæ* pugillus unus cum aquæ ℥iv infundatur. *Radicis* ℥ij cum ℥vj ad ℥iv decoquantur. Dosis exigua ſit & per vices ſumenda, ne nimium pellat.

HERBA SANICULÆ.

Sanicula europæa L. Sanickel.

Odor nullus; Sapor auſterus, amarus cum ſenſu acredinis.

Virtus vulneraria, unde nomen ſaniculæ.

Usus. Pro decocto vulnerario ad ulcera, fiſtulas & contuſiones ſanandas præbetur.

Dosis. *Herbæ* pugilli duo cum aquæ ℥viij infundantur. Vel *Radicis* ʒij cum aquæ ℥vj ad ℥iv coquantur.

HERBA LAMII ALBI.

Lamium album L. Weiſſe taube Neſſel. Urtica mortua & Galeopſis.

Odor subfoetens. Sapor subausterus.

Virtus subadstringens.

Usus. Infusum frigidum foliorum & florum lamii scrophulas resolvit. *

Dosis. *Herbæ & florum* pugilli quatuor cum ℔j aquæ infundantur.

FOLIA FRAXINI.

Fraxinus excelsior L. Eschbaum.

Odor nullus. Sapor acerbo-amaricans.

Virtus adstringens, specifica anticolubrina.

Usus in morsu colubri Chersea & Colubri Beri. * *

Dosis. *Succi* e foliis cum vino gallico contusis expressi ℥ij bis in hora propinantur per diem; sic continuatur, donec omnia symptomata prorsus remittant. *Externe* folia contusa loco læso applicantur.

FOLIA UVÆ URSI.

Arbutus Uva ursi L. Bärentraube. Sandbeere.

---

* *Mémoires de l'Ac. de Paris an.* 1717. p. 273.

* * *Cel.* Montin *Schw. Abh.* 26. *B.* hic unum Chersea & plures Beri ictu demorsos se sanasse refert.

ODOR nullus; SAPOR ſtipticus, amaricans.

VIRTUS adſtringens, diuretica.

USUS in ſabulo, calculo, ulceribus renum atque veſicæ, * in iſchuria a paralyſi veſicæ, ** in leucorrhæa & incontinentia urinæ. ***

DOSIS. Foliorum ℨß bis de die in pulvere datur. Vel *Foliorum* ℨij cum ℔j aquæ decoquantur & colatura detur.

GLANS QUERCINA.

QUERCUS Robur L. Eicheln.

ODOR nullus. SAPOR amarus, auſterus.

VIRTUS roborans, anteryſipelacea, ſudorifera.

---

* *Ill.* MURAY *Ap. me.* T. 2. p. 59. Non ſolvit calculum, ut quidam voluere; at ſenſilitatem veſicæ minuendo, calculos exiguos facilius exire facit.

** Virum ſenem, qui ex retentione urinæ ſibi veſicæ iſchuriam paralyticam fecit, ac cui ultra tres menſes cathetere quotidie urinam educere debui, ſola uva urſi in pulvere data, integre intra aliquot ſeptimanas curavi.

*** Duabus fœminis, quæ a partu incontinentia urinæ laborabant, interno uſu uvæ urſi & externo fomento ex aqua frigida ad pubem applicato intra aliquot ſeptimanas ſanitati reſtitui.

Usus in eryſipelate, * in ſcrophulis.

Dosis. Pulveris ʒß in cereviſia datur. Alii coffeam e glandibus toſtis parant.

FUNGUS MELITENSIS.

Cynomorum coccineum L. Melitenſer Schwamm.

Odor nullus; Sapor ſtipticus, amaricans.

Virtus roborans, adſtringens.

Usus. Decoctum in ulceribus antiquis venereis urethræ profuit **

Dosis. ʒj cum juſculi ℥iij Infuſa datur.

SUCCUS CATECHU.

Mimosa Cate L. Cathecuſaft. Eſt ſuccus inſpiſſatus.

Odor nullus; Sapor ſubſtipticus.

Virtus adſtringens, valde antiſeptica.

Usus in hæmorrhagiis externis ex putrida ſanguinis diſſolutione ortis.

Dosis. *Succi* inſpiſſati ʒß in electuario vel mixtura datur.

* *Cel.* Lange *verit. miſcel.* p. 88. Brunſvicenſes adverſus eryſipelas iugerunt pulverem glandum in cereviſia tepida & ſudorem intra lectum exſpectant, unde poſt duodecim horas nullum nec tumoris nec ruboris veſtigium ſuperfuiſſe dicitur.

** *Cel.* Deidier *Obſ.* T. 1. & *Cel.* Vogel *mat. med.*

BALSAMICA.

BALSAMUM COPAIVÆ.

COPAIFERA officinalis L. Copaiva Balſam.

ODOR frangrans, balſamicus, non ingratus. SAPOR amaricans, ſubaromaticus, reſinoſus.

VIRTUS diuretica, ſtimulans.

USUS in fine gonorrhϾ abſente ardore, in ulceribus cacoethicis crurum *

DOSIS. Guttæ 10 bis de die cum ſaccharo contritæ dentur.

BALSAMUM PERUVIANUM.

PERUIFERA L. Peruvianiſcher Balſam.

ODOR frangrans, ut ſiliquæ Vanillæ. SAPOR amaricans, acriuſculus, balſamicus.

VIRTUS nervina, excitans.

USUS in angina paralytica, & aliis morbis a paralyſi.

DOSIS. ℈ß in formam pilularem cum quodam extracto redigatur

* *Cel.* BRUNS *diſs. ſiſtens obſerv. medico - chirurg. Göttingæ* p. 32.

BALSAMUM RACKASIRA.

BALSAMUM Rackasira. L. Rakasirabalsam.

ODOR balsamicus. SAPOR amaricans, labia glutinans.

VIRTUS balsamica.

USUS in gonorrhæa.

DOSIS. Una alterave guttula. *

TEREBINTHINA.

PINUS larix L. Terpentin. Terebinthina larygna.

ODOR fragrans; SAPOR amarus, balsamico-resinosus, acriusculus, terebinthinæ communis tamen minus acris.

VIRTUS diuretica, sublaxans, urinam odore violaceo imbuens.

USUS. In gonorrhææ fine laudatur; at raro prodest, sæpe nocet supprimendo fluxum. ** Cave, ne in stadio inflammatorio gonorrhææ porrigatur. In ulceribus antiquis crurum. ***

---

* A. N. C. *Vol.* 1. *app.* p. 123. perhibent, una alterave guttula hujus balsami gonorrhæas feliciter ad sanitatem perductas fuisse, quas plurimæ copaivæ unciæ irrito sæpe effectu curare tentassent.

** *Cel.* THEDEN *Unterricht für Unterwundärzte.* p. 255.

*** *Cel.* MERK *de curationibus ulcerum difficilium. Goettingæ.* p. 34. & infusum picis in hunc finem laudatur.

Dosis. Terebinthinæ *crudæ* ℈ß in forma emulſionis dari ſolet. Terebinthinæ *coctæ* ℈j per diem.

TURIONES PINI.

Pinus Sylvestris L. Kieferſproſſen. Non *ſtrobili* ſed *turiones* tenelli & recentes in uſum vocandi.

Odor fragrans, reſinoſus. Sapor amaricans, debiliter reſinoſus, non ingratus.

Virtus diuretica, antiſcorbutica, antivenerea.

Usus in ſcorbuticis & venereis ulceribus.

Dosis. Uncia ſemis cum aquæ vel ſeri lactis libra una infundatur, vel coquatur, & unciæ quatuor bis de die ebibantur.



GUMMI RESINOSA.

GUMMI AMMONIACUN.

Ammoniacum L. Gummi Ammoniak.

Odor fragrans; Sapor amaricans, acriuſculus.

Virtus ſolvens, aperiens, expectorans, emmenagoga.

Usus in tumoribus induratis, in ſarcocele.

Dosis. ʒß in mixtura vel forma pilulari datur.

GUMMI OPOPANAX.

PASTINACA Opopanax L. Opopanax Gummi.

ODOR ingratus, fragrans; SAPOR calidus, amaricans.

VIRTUS resolvens, majori dosi alvum laxans.

USUS contra strumas, scirrhos & nodos usurpatur.

DOSIS. ʒß in forma pilulari vel mixtura datur.

RESINA GUAJACI.

GUAJACUM officinale L. Quajakharz. Franzosenholzharz.

ODOR ad ignem liquescentis resinæ ingratus; SAPOR levissime amarus.

VIRTUS resolvens, antivenerea, sudorifera, eccoprotica.

USUS in morbis venereis, in tumoribus podagricis, & rheumaticis, in angina pectoris. *

DOSIS. ʒß resinæ forma pilulari datur: optima formula mixturæ hæc est: ℞. Resinæ guajaci ℥ß, gummi arabici ʒij, solvantur in ℥ix aquæ hyssopi. Adde sacchari albi ℥ß. S. mane ac vesperi duo cochlearia assumantur. Alii resinam guajaci in spiritu ope sacchari solutam assumunt. **

---

* *Neue Schwed. Abh.* I. *Band. für* 1781.

** *Sammlung für practische Aerzte* 3 *B.* 4 *St.* p. 589.

ASA FOETIDA.

Ferula Asa fœtida L. Stinkender Asond. Teufelsdrek.

Odor fœtidissimus, alliaceus; Sapor amaricans, acris, diutissime inhærens.

Virtus resolvens, antispasmodica, anthelmintica, anticariosa. Saniem cariei intra aliquot dies emendat.

Usus in tumoribus induratis, in ulceribus cariosis, * in spina ventosa, in ozœna, in verrucis & cancro verrucoso.

Dosis. ℥j in pilulis bis de die ad sanandam cariem datur.

CAMPHORA.

Laurus Camphora L. Kampfer.

Odor fragrantissimus, penetrans, ad rosmarinum accedens. Sapor calidissimus, ut menthæ piperitidis, amaricans, linguam faucesque penetrans.

---

* *Cel.* Smukers *Ch. Schrift* I. B p. 135. *Cel.* Plock *Beobachtungen über den Nutzen der Asa fcetida bey dem Beinfraſs.*

VIRTUS calefaciens, resolvens, sudorifera, antiseptica, antispasmodica. Multis antihydrophobica.

USUS in gangræna humida & sicca, in ulceribus chronicis crurum, * in ischuria a cantharidibus, in tumoribus rheumaticis, in erysipelate præsertim putrido. Emulsio camphorata in gonorrhæa.

DOSIS. A ℨß ad ℥j per diem in forma *pilulari* datur, vel in forma *mixturæ* : ℞. Gummi arabici ℨj, solvatur in aquæ florum tiliæ ℥iij, dein terendo admisce camphoræ ℨß, syrupi capill. veneris ℥j, m. f. quater de die ℥j detur, superpotando vasculum emulsi vel decocti alicujus: vel in forma *emulsionis*: ℞. Amygd. dulc. ℨiij, fiat cum aq. pura l. a. emulsio. Colaturæ ℥iij adde terendo camphoræ ℨß, syrup. capill. veneris ℥j, m. f. usus prioris.



S U L P H U R E A.

SULPHURIS FLORES.

SULPHUR vulgare L. Schwefel. Est corpus ex phlogisto & acido vitrioli constans.

---

* *Cel.* COLLIN *observ.* p. 3. p. 154.

Odor ſulphureus, ſuffocans, ſi accendatur. Sapor fatuus.

Virtus ſolvens pituitam, diaphoretica, alvum ſublaxans, antiſcabioſa.

Usus in ſcabie & aliis morbis cutaneis, in hæmorrhoidibus, * in gutta roſacea faciei, in ſcorbuto & ulceribus crurum, in tinea.

Dosis. Flores ſulphuris cum cremore tartari anatica portione quotidie mane ad ℈j vel ℈ij dentur. **

F U L I G O.

Fuligo ſplendens. Ofenrus. Eſt ſubſtantia oleoſoſalina empyreumatica e fumo lignorum combuſtorum caminis adhærens.

Odor ingratus; Sapor nauſeoſus, amaricans. Omnibus fere menſtruis patet.

Virtus reſolvens, eccoprotica, expellens.

Usus in indurationibus glandularum, in cruſta lactea, *** in rachitide.


---

* *Ill.* Werlhof *obſerv. de febribus* p. 37. b.

** *Cel.* Gardane *Gazette de ſanté, An.* 1773 & 74.

*** *Ausführliche Abhandl. vor Sageſprüngen einer bekannten Kinderkrankheit. Nürnberg* 1779. p. 55.

Dosis. ℈ß cum ſaccharo in pulvere, vel ſine eo in forma pilularum datur.



SPIRITUOSA.

SPIRITUS VINI.

Liquor fragrans, inflammabilis, cum aqua miſcendus, e vino deſtillatus. *Weingeiſt.*

Odor & Sapor ſpirituoſus, fragrans, proprius.

Virtus roborans, adſtringens, putredini reſiſtens, humores inſpiſſans, diaphoretica, ſtomachica, carminativa.

Usus in gangræna a debilitate vis vitalis, in debilitate a nimia ſuppuratione.

Dosis. ℥j in ℥iv aquæ in julepo datur.

VINUM.

Eſt ſuccus baccarum *Vitis viniferæ* L. fermentationem ſpirituoſam paſſus. *Wein.*

Odor vinoſus. Sapor fragrans & ſimul vel acidulus, vel dulcis vel ſubadſtringens.

VIRTUS cardiaca, antiſeptica, roborans, diaphoretica. *Rubrum* ſimul tonicum, *moſellanum*, *auſtriacum* & *rhenanum* ſimul diureticum. *Hyſpanicum* & *Tokaynum* ſimul valde excitans, cardiacum.

USUS in gangræna cum vi vitali nimis debili, * in ulceribus ſcorbuticis.

DOSIS ad uncias aliquot ſæpius de die.

CEREVISIA

Eſt decoctum *malti* fermentationem ſpirituoſam paſſum. *Bier.*

ODOR peculiaris, proprius; SAPOR ſubſpirituoſus, mollis, ſubamaricans.

VIRTUS nutriens, antiſcorbutica præſertim, quæ aëre fixo abundat, ut cereviſia lagenaria.

USUS in ulceribus & aliis morbis ſcorbuticis.

DOSIS. ℔j aliquoties de die.

Cereviſia antiſcorbutica ex herbis antiſcorbuticis, raphano nigro, armoracia & radice calami aromatici paratur.

---

* Foeminam 62 annorum a pulvere pyrio accenſo gangræna profunda antibrachii laborantem ſolo potu vini Budenſis ad menſuram quotidie ingeſti curatam vidi, cum omnia medicamenta interna reſpueret & debiliſſima eſſet cum pulſu vix perceptibili.

ACI-

ACIDA VEGETABILIA.

ACETUM VINI.

Eſt liquor vinoſus fermentationem acidam paſſus. *Weineſſig.*

ODOR acidus; SAPOR acido-acetoſus.

VIRTUS ſolvens, antiſeptica, diaphoretica, ſudorifera.

USUS in gangræna inflammatoria, in carbunculo, in eryſipelate bilioſo, putrido.

DOSIS. ℥j cum aqua omni bi vel trihorio datur.

FOLIA ACETOSÆ.

RUMEX acetoſa L. Sauerampfer.

ODOR nullus; SAPOR plantæ recentis acidus, gratus. *Sicca* folia vix acidulum habent ſaporem.

VIRTUS refrigerans, aperiens, antiſcorbutica.

USUS in Scorbuto calido, morbis cutaneis, tumoribus inflammatoriis.

DOSIS. *Succi expreſſi* ℥iv cum ſero lactis vel jure, vel *Herbæ* recentis manipulus unus cum juris ℔j ad ℥x coquatur.

HERBA ACETOSELLÆ.

Oxalis Acetoſella L. Sauerklee.

Odor nullus; Sapor herbæ recentis valde acidus, gratus.

Virtus refrigerans, antiſeptica.

Usus in morbis putrido-bilioſis: ut ulceribus gangrænoſis febrium putridarum, in angina putrido-bilioſa.

Dosis. *Succi recentis* ℥iij vel *Herbæ recentis* manipulus cum juris ℔j ad ℥x coquatur.

CITRUS.

Citrus medica L. Citrone.

Odor pulpæ debilis; Sapor intenſius acidus.

Virtus refrigerans, antiphilogiſtica, antiſcorbutica, diuretica.

Usus in tumoribus inflammatoriis, febre vulnerario-inflammatoria, ulceribus ſcorbuticis, putridis, gangrænoſis.

Dosis. *Succi expreſſi* ℥j in julepo datur cum ſaccharo.

LIMONIUM.

Malus Limonia acida L. Limonie.

Odor pulpæ ſubaromaticus; Sapor citri ſucco acidior.

Virtus & Usus præcedentis.

AURANTIUM.

CITRUS Aurantium L. Pomeranze.

ODOR pulpæ ſubaromaticus; SAPOR acidulo-amaricans.

VIRTUS antiſcorbutica.

USUS in morbis ſcorbuticis.

DOSIS. Succi recentis ℥j, vel pomum unum datur.

POMUM.

PYRUS Malus L. Apfel. Optimum eſt pomum Borsdorfienſe. *Borsdorfer Apfel.*

ODOR debilis; SAPOR acidulo-dulcis.

VIRTUS refrigerans, antiſcorbutica.

USUS in morbis ſcorbuticis, in impetigine *

DOSIS. Poma quædam quotidie cruda comedantur, vel poma quædam cum ℔j aquæ ad ℥viij decoquantur pro potu.

MORUM.

MORUS nigra L. Schwarzer Maulbeerbaum.

ODOR vix ullus; SAPOR acidulo-dulcis.

VIRTUS refrigerans, ſubadſtringens.

---

* *Collectanea, Societatis med. Havn.* vol. II. p. 1. *Cel.* MEZA *obſervatio de impetigine rebelli pomorum eſu curata.*

Usus in inflammatorio - biliosis anginis, scorbuto.

Dosis. *Succi expressi* ℥ß in julepo vel mixtura datur, vel fructuum manipulus cum ℔j aquæ ad ℥viij decoquatur, & colatura detur.

RIBES RUBRUM.

Ribes rubrum L. Rothe Johannisbeere.

Odor vix ullus; Sapor dulcescenti-acidus.

Virtus refrigerans, antiseptica.

Usus in inflammationibus putrido-biliosis, in scorbuto calido.

Dosis. Manipuli quidam quotidie comedantur cruda, vel ribes conditi ℥ß detur.

ROOB SAMBUCI.

Sambucus nigra L. Holundermus. Fliedermus. Est succus baccarum addito saccharo in mellis spissitudinem coctus.

Odor debilis; Sapor acidulus.

Virtus refrigerans, sudorifera, antibiliosa.

Usus in erysipelate & aliis calidis morbis cutaneis.

Dosis. ℥j vel ℥ij forma electuarii dentur.

ROOB EBULI.

Sambucus Ebulus L. Attich.

Odor nullus; Sapor acidulo-amaricans.

VIRTUS diuretica, purgans.

USUS in morbis hydropicis.

DOSIS. ℥ß ad ℥jß datur.



ACIDA MINERALIA.

SPIRITUS VITRIOLI.

Eſt acidum ex *vitriolo* elicitum. *Vitriolgeiſt.* Spiritus vitrioli ex olei vitrioli ℥j in ℥vj aquæ diluti conſtat.

ODOR peculiaris; SAPOR acidiſſimus.

VIRTUS adſtringens, coagulans, antiphlogiſtica, antiſeptica.

USUS in gangræna, ulceribus putridis, cancro aquatico oris, * in ſcabie.

DOSIS. ʒj ad ℔j aquæ & ſyrupi ℥j datur.

SPIRITUS SALIS MARINI.

Eſt acidum e *ſale communi* elicitum. *Salzgeiſt.*

* *Sammlung für pract. Aerzte* 5. *B.* 3. *St.* 477. *S. Cel.* BRUINEMAN infantem cancro ſcorbutico labii inferioris laborantem curavit, cui interne ſpiritum ſulphuris cum melle communi mixtum omni trihorio cochlearis minoris quantitate dedit. Externe olei vitrioli guttas 30 cum uncia una aquæ & mellis roſacei mixtas applicuit.

Odor croceus; Sapor acidiſſimus.

Virtus antiſeptica, diuretica, roborans.

Usus in gangræna febrium putridarum. Nec non in herniis inteſtinalibus.

Dosis. Guttæ iv omni trihorio cum ℥j decocti ſaturati corticis peruviani dantur.

SPIRITUS NITRI.

Eſt acidum e *nitro* elicitum. *Salpetergeiſt. Aqua fortis.*

Odor peculiaris; Sapor acidiſſimus, cauſticus.

Virtus antiſeptica, diuretica.

Usus. Spiritus nitri ſimplex interne fere non datur. Vide *ſpiritus nitri dulcis.*

SAL SEDATIVUM HOMBERGII.

Eſt ſal acidus e *borace* elicitus. *Hombergiſches Sedativſalz.*

Odor nullus; Sapor acidus.

Virtus reſolvens, anodyna, antiſpaſmodica.

Usus in cancro,* ad ſedandos dolores.

Dosis a granis duobus ad plura.

---

* *Cel.* Richter *chirurg. Biblioth.* 4. *B.* 4. *St.* 768. *S.*

ACIDA DULCIFICATA.

SPIRITUS VITRIOLI DULCIS.

Eſt *acidum vitrioli alcohole vini dulcificatum. Verſüſter Vitriolgeiſt.* Seu *Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.*

Odor gratus, ſpirituoſus; Sapor conſimilis, fortis.

Virtus roborans, antiſeptica, cardiaca.

Usus in gangræna febrium putridarum.

Dosis. A guttis 30 ad 60 & ultra ſaccharo exceptus vel in hauſtu dilutus aliquoties de die datur.

SPIRITUS SALIS DULCIS.

Eſt *acidum ſalis alcohole vini dulcificatum. Verſüſter Salzgeiſt.*

Odor peculiaris, ſpirituoſus; Sapor penetrans.

Virtus roborans, adſtringens, antiſeptica.

Usus in herniis a laxitate inteſtinorum, in ulceribus gangrænoſis, in calculo urinario.

Dosis. A guttis 30 ad 40 datur.

SPIRITUS NITRI DULCIS.

Eſt *acidum nitri alcohole vini dulcificatum. Verſüſter Salpetergeiſt.*

Odor ſpirituoſus, penetrans; Sapor conſimilis.

Virtus carminativa, antiſpaſmodica, diuretica.

Usus in flatulenta incarceratione herniarum.

Dosis. A guttis 30 ad 40 datur.

NAPHTHA VITRIOLI.

Eſt *acidum vitrioli oleo vini dulcificatum. Vitriol naphtha. Aether vitrioli.*

Odor gratus, penetrantiſſimus; Sapor penetrans, fragrans cum ſenſu refrigerationis.

Virtus cardiaca, antiſeptica.

Usus in gangræna & ſphacelo.

Dosis. ʒß cum ℥iv aquæ & ℥j ſyrupi in forma mixturæ cochleatim haurienda datur.

NAPHTHA ACETI.

Eſt *acidum aceti oleo vini dulcificatum. Eſſig Naphtha.*

Odor vini rhenani; Sapor acidus, fragrantiſſimus.

Virtus penetrans, antiſeptica, cardiaca.

Usus in gangrænoſis ulceribus.

Dosis. A guttis x ad xx & ultra cum ſaccharo vel in hauſtu datur.

ALCALINA VOLATILIA.

SPIRITUS SALIS ANMONIACI FLUIDUS.

Eſt alcali volatile e *ſale ammoniaco* ope calcis vivæ exſtinctæ elicitum. *Der flüſſige Salmiakgeiſt.*

Odor urinoſus, penetrantiſſimus; Sapor alcalinus.

Virtus ſudorifera, reſolvens, anticolubrina, cardiaca.

Usus in ictu viperæ gallicæ, in morſu canis rabidi, in aſphyxiis. *

Dosis. Aqua dilutus exhibendus ad guttas 10.

SAL VOLATILE CORNU CERVI.

Eſt alcali volatile e *cornu cervi* elicitum, ſiccum. *Hirſchhornſalz.*

Odor urinoſus, penetrans; Sapor alcalinus.


Virtus præcedentis.

Usus. In tetano, qui a refrigeratione vulnerati oritur, opium cum ſale volatili datur. Gangræna ſicca, quæ in hominibus exhauſtis aut ſenibus lente proſerpit, aut ſub corticis peruviani uſu ſine

* *Cel.* Sage *Erfahrungen, daſs der flüſſige Salmiakgeiſt das wirkſamſte Mittel ſey.* etc. *Strasburg* 1778. p. 15. et 41.

ſeparatione permanet, cortice cum hoc ſale dato ſæpe intra 24 horas ſeparari incipit. *

Dosis. A granis 2 ad 6 datur.



ALCALINA FIXA.

SAL TARTARI.

Eſt ſal *alcalinus vegetabilis fixus* ex calcinatione tartari obtentus. *Weinſteinſalz.*

Odor nullus; Sapor lixivioſus, acris.

Virtus reſolvens, antacida, diuretica.

Usus in induratione lactea mammarum, in ulceribus & ſpina ventoſa a rachitide ortis. * *

Dosis. Salis tartari ʒß in decocti corticis peruviani ℥viij ſolvatur & ℥iv quotidie pro doſi dentur.

SAL SODÆ.

Eſt ſal *alcalinus fixus mineralis* ex incineratione *Salsolæ ſativæ L.* obtentus. *Sodaſalz. Natrum hungaricum* ejusdem eſt indolis.

---

* *Cel.* Bromfield *Chirurgical obſervat. and caſes. Lond.* 1773. & *Ill.* Richter *Ch. Bib.* 2. *B.* 2. *St.* p. 124.

** Collectanea *Societ. med.* Havniensis *Vol.* 1. p. 1. *Cel.* Abildgaard *de eximia ſalis alcalini efficacia in rachitide.* p. 5.

Odor nullus; Sapor lixiviosus.

Virtus præcedentis.

Usus idem

Dosis a ℈ß ad ℈j de die.

LIXIVIUM SAPONARIORUM.


Est *alcali vegetabile fixum materia caustica calcis* imprægnatum. * *Seifensieder Lauge.*

Odor nullus; Sapor lixiviosus, causticus.

Virtus lithontriptica.

Usus in calculo renali & vesicæ.

Dosis. A guttis 10 ad 20 in lacte vel jusculo datur.



SALIA NEUTRA.

NITRUM.

Est sal medius ex *accido nitri* et *alcali fixo Vegetabili* constans. *Salpeter.*

Odor nullus; Sapor amaricans, refrigerans.

Virtus attenuans, solvens, antiphlogistica, diuretica, sublaxans. Est omnium salium mediorum blandissimum.

---

* *Cel.* Home *Clinisch. Versuche.* p. 517.

Usus in febre inflammatoria, quæ vulnera, fracturas et inflammatorios comitatur tumores. In ulceribus chronicis crurum. *

Dosis. In inflammationibus a ℥ß ad ℥j cum ℔j emulsionis, in ulceribus a ℈iv ad ʒiij de die in aqua frigida, vel si ventriculus nitrum difficilus ferret, in aqua menthæ vel syrupo fumariæ datur.

SAL CULINARE.

Est sal medius ex *acido salis* et *alcali fixo minerali* constans. *Küchensalz*.

Odor nullus; Sapor salsus proprius.

Virtus incidens, resolvens, scorbutum inducens, septica, si ℥ij aqæ infra grana 30 salis contineant.

Usus in scrophulis, in strumis, quos tumores vi septica soluit.

Dosis. ʒß in ℔j aquæ detur. At ob vim septicam non diu continuetur hæc solutio.

---

* *Cel.* Rowley *an essay on the cure of ulcerated legs without rest. London.* 1771 & *Cel.* Merk *de curationibus ulcerum difficilium præsertim in cruribus obviorum. Goettingæ* 1776. Ego permulta ulcera antiqua crurum ope nitri in syrupo fumariæ soluti in nosocomio practico curavi. Vide *Rosa diss. de histeritide. Budæ* 1782. p. 124. ubi mea exprimenta recensentur. Quandoque addidi camphoram.

SAL AMMONIACUM.

Eſt ſal medius ex *acido ſalis* et *alcali volatili* conſtans. *Salmiak.*

Odor nullus; Sapor frigoris ſenſum linguæ imprimens.

Virtus digeſtiva, reſolvens, diuretica, antipituitoſa

Usus in tumoribus frigidis, in angina et aliis morbis pituitoſo-inflammatoriis, in gangræna.

Dosis. A ℈j ad ℈ij, imo in gangræna ad ʒiij de die cum cortice datur. *

TARTARUS TARTARISATUS.

Eſt ſal medius ex *acido tartari* et *alcali fixo vegetabili* conſtans. *Tartaſirter Weinſtein.* Etiam *tartarus ſolubilis vulgaris. Auflöslicher Weinſtein* vocatur.

Odor nullus; Sapor amaricans.

Virtus reſolvens, digeſtiva, diuretica.

Usus in tumoribus frigidis, in ulceribus crurum.

Dosis a ℈j ad ℈ij bis vel ter de die datur.

TERRA FOLIATA TARTARI

Eſt ſal medius ex *acido aceti* et *alcali fixo vegetabili* conſtans. *Weinſteinblättererde.*

Odor nullus; Sapor amaricans.

---

* *Pharmacia rationalis. Caſſellis* 1779. p. 245.

Virtus ſoluens, diuretica.

Usus in induratione teſticulorum et aliis tumoribus frigidis.

Dosis. A ℈j ad ℈ij in hauſtu decocti vel in ſyrupo datur.

SAL MIRABILE GLAUBERI.

Eſt ſal medius ex *acido vitrioli* et *alcali fixo minerali* conſtans. *Glaubers Wunderſalz.*

Odor nullus; Sapor amaricans.

Virtus incidens, reſolvens, diuretica, majori doſi laxans

Usus in morbis ab obſtructione val a ſaburra tenaci primarum viarum.

Dosis. A ʒj ad ʒiij ſcopo reſolvendi, ad ℥j vel ℥iß ſcopo purgandi datur.

TARTARUS VITRIOLATUS. SEU ARCANUM DUPLICATUM

Eſt ſal medius ex *acido vitrioli* et *alcali fixo vegetabili* conſtans. *Vitrioliſirter Weinſtein.*

Odor nullus; Sapor amaricans.

Virtus incidens, reſolvens, diuretica.

Usus in morbis ab obſtructione vel ſaburra tenaci, in tumoribus lacteis; hinc etiam aliquibus *Sal lactifugus* dicitur.

Dosis. A ʒj ad ʒij de die datur.

TARTARUS SOLUBILIS NEUMANI.


Eſt ſal medius ex *acido tartari* & *ſale alcalino volatili* conſtans. *Neumans Auflösliſcher Weinſtein.*

Odor nullus; Sapor amaricans.

Virtus incidens, potentior quam tartari vitriolati.

Usus in morbis ab obſtructione, in ſtrumis.

Dosis. ʒß quater de die.



TERREA.

LAPIDES CANCRORUM.

Lapides calcarei in thorace *Cancri Aſtaci L. Krebsaugen.*

Odor nullus; Sapor terreo - cretaceus.

Virtus abſorbens acidum primarum viarum. Acido abſorpto in ſalem mutantur, qui urinam movet. Acido abſente putredinem inducunt.

Usus in ſaburra acida, in rachiticis morbis; in amauroſi ab acido.

Dosis a ℈j ad ℈ij bis de die. *Acido vini ſaturati lapides* potenter reſolvunt teſticulos induratos.

TESTÆ OVORUM.

Teſtæ ovorum *Gallinæ domeſticæ L. Eyerſchaalen.*

Odor nullus. Sapor terreus.

Virtus abſorbens, antacida. Teſtæ *toſtæ* reſolvens.

Usus *ſimplicis* in acido; *toſtæ* in ſtrumis. *

Dosis. ℈ij mane ac veſperi in tribus cochlearibus vini rubri.

TESTÆ OSTREARUM.

Teſtæ *Ostreæ edulis L. Auſterſchaalen. Oſtracodermata.*

Odor nullus; Sapor terreus.

Virtus abſorbens acidum. Vis antilyſſa experientia non confirmatur.

Usus in morbis ab acido.

Dosis eſt ʒß.

OPERCULA COCHLEARUM.

Helix pomatia L. Schnecken. Opercula & chellæ, rarius teſtæ, in uſu ſunt.

Odor & Sapor nullus.

---

* *Journal de Médecine May.* 1770.

Virtus

Virtus absorbens. *Calcinata* evadunt caustica, & lithontriptica censentur.

Usus in calculo.

Dosis est ʒß.

OSTEOCOLLA.

Tophus Osteocolla L. Beinbruchstein.

Odor nullus; Sapor terreo-sabulosus.

Virtus absorbens. Vis ossa diffracta consolidandi est imaginaria.

Usus in morbis a saburra acida, in leucorrhoea.

Dosis est ʒj de die.

OS SEPIÆ.


Os dorsale *Sepiæ officinalis L. Blackfischbein.*

Odor nullus; Sapor terrens.

Virtus absorbens, antistrumosa.

Usus in morbis ab acido, in strumis. Alii hanc terram in gonorrhæa laudant, at experientia id non confirmante.

Dosis a ℈j ad ℈ij bis de die.



METALLICA.

ANTIMONIUM.

Stibium ſtriatum L. Spieſsglas. Eſt ſemimetallum ex *regulo* proprio & *ſulphure* conſtans.

Odor & Sapor nullus.

Virtus diaphoretica, ſanguinem purificans, reſolvens.

Usus in morbis ab impuritatibus ſeri: ut in ſcabie, in ſcrophulis, in tumoribus rheumaticis, in ulceribus chronicis, in lue venerea inveterata.

Dosis. Antimonium crudum tenuiſſime pulveriſatum a granis x ad ℈j datur, vel cum lapidibus cancrorum, vel cum ſaccharo. *Aethiops antimonialis* laudatur in lue venerea ſcorbuticorum. *

SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

Eſt regulus antimonii, cui ſulphur laxe adhæret. *Spieſsglas, Goldſchwefel. Kermes mineralis* ejusdem eſt efficaciæ & indolis.

Odor & Sapor nullus.

---

* *Cel.* Levison *Beſchr. der lond. Praxis* 2. Th. p. 187.

Virtus resolvens, diaphoretica, majori dosi emetica, purgans.

Usus. In morbis scrophulosis, venereis, induratis; datur ut plurimum

Sulphur auratum antimonii liquidum, seu *saponatum*, quod a granis v usque ad viii bis de die exhibetur. *

Pulvis alterans Plumeri, ** qui ex sulphuris aurati antimonii ʒj, mercurii dulcis ʒij, gummi guajaci ʒiß constat, laudatur in morbis venereis, tumoribus rheumaticis, scrophulosis & tinea, *** in herpete & variis morbis cutaneis.

Dosis. A gr. iv ad viij datur.

TINCTURA ANTIMONII THEDIANA.

Est solutio antimonii methodo *Cel.* Theden confecta. ****

---

* *Act. Acad. El. Mogunt.* T. I. & *Cel.* Guericke *diss. de sulph. aurato liquido.*

** *Act. Edinburg.* T. I. & *Ill.* Werlhofii *specimina. Specimen* I.

*** *Ill.* Baldinger *Hist. mercurii & mercurialium medica. Pars iv* p. 5 mirifice dicit semel in tinea capitis profuisse pulverem alterantem Plumeri cum extracto cicutæ.

**** *Cel.* Theden *Neue Bemerk. und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzney.* 2. *Th. p.* 87.

Sulphur auratum antimonii oleo vini & terra foliata tartari ope peculiaris encheriesis unitum continet.

ODOR & SAPOR acris.

VIRTUS summopere solvens, diaphoretica, diuretica, anticancrosa, antarthritica, eccoprotica.

USUS in scrophulis, cancro occulto & aperto, * in ulceribus & tumoribus arthriticis, in dysphagia, in amaurosi, ** in struma.

DOSIS. A 10 guttis datur ad 20.

C U P R U M.

CUPRUM nativum L. Kupfer. Est metallum rubrum, perdurum, maxime sonorum.

---

* Tres cancros occultos hac tinctura resolutos fuisse dicit *Cel.* AUTHOR.

** *Cel.* Author, cui medicina & chirurgia Germaniæ multum debet, vir ingenio acuto ac probissimo pollens corde mihi nuper litteris amicissimis 13 Augusti anni currentis ad me datis communicavit, Nobilissimam Matronam a biennio fere utroque in oculo amaurosi, sinistro autem insimul cataracta affectam, usu tincturæ antimonialis 7 mensibus digestæ ad 15 guttas cum frusto facchari ter de die assumptæ, quinta jam die varia objecta discernere potuisse. Scribit insimul vir mihi amantissimus se etiam suam tincturam in strumis invenisse efficacem.

Odor proprius, ſi manu teratur; Sapor metallicus, valde nauſeoſus.

Virtus emetico-draſtica.

Usus in morſu canis rabidi.

Dosis. Scobs cupri ad gr. x adhibita hydrophobiam curaſſe legitur. *

STANNUM.

Stannum cryſtallinum L. Zinn. Eſt metallum album, molle, leve, flexum crepitans. Puriſſimum vocatur *anglicanum*.

Odor inter manus fricti peculiaris; Sapor metallicus.

Virtus vi mechanica irritans.

Usus in morſu canis rabidi, ** in tænia. ***

Dosis. A ʒß ad ℥j datur raſura ſtanni cum ʒj corallii rubri in ſyrupo, vel conſerva quadam.

FERRUM.

Ferrum ſelectum L. Eiſen. Eſt metallum nigreſcens, duriſſimum, magneti adhærens.

---

* *Cel.* Loeseke *mat. med.* p. 359. n. 5.

** Van Swieten *Comment.* T. 3.

*** *Ill.* Van Swieten l. c. T. IV. p. 726.

Odor proprius; Sapor metallicus.

Virtus roborans, emmenagoga, hæmatopojetica.

Usus in morbis externis a laxitate partium, vel a menoſtaſia ortis.

Dosis. *Martis limatura* a ℈ß ad ℈j in pulvere, pilulis, vel electuario datur. *Limaturæ* ℥vj cum vini ℔j infunduntur. *Extractum* martis pomati a ℈ß ad ℈j exhibetur.

MERCURIUS GUMMOSUS.

Eſt *mercurius vivus* gummi arabici *muco* tritura ſubactus. *Gummigtes Quekſilber.*

Odor nullus; Sapor metallico-gummoſus.

Virtus ſolvens, ſialagoga, anthelmintica, certiſſimum & unicum antiſiphiliticum.

Usus in omnibus morbis venereis, * in tetano a læſione nervi, ** in morſu canis rabidi, *** in ſpina ventoſa, in tinea capitis, in dyſphagia a glandulis æſophagi induratis, in morſu viperæ italicæ. ****

---

* Plenck *Neue Art das Quekſilber zu geben*, & ejusdem *Doctrina de morbis venereis. Viennæ* 1779.

** *Clar.* Trnka *comment. de tetano* p. 371 &c.

*** A multis authoribus ad præveniendam & curandam hydrophobiam a morſu canis rabidi laudatur mercurius; at caſus *Cel.* Vaughan demonſtrat mercurii uſum contra hydrophobiam fuiſſe inefficacem. Vide *Samml. für Aerzte.* V. B. I St. p. 5.

**** *Cel.* Laurenti *ſynopſis reptilium.* p. 210.

Dosis. Una pars mercurii cum tribus partibus gummi arabici & syrupo cichorei cum rheo q. s. in mortario marmoreo conteratur in mucum, ex quo addita mica panis albi ℥ß fiant pilulæ, quarum x mane ac vesperi æger capiat. Dosis sensim augenda.

Syrupus mercurialis præbetur infantibus. ℞ Mercurii vivi depuratissimi ℈j, gummi arabici pulverati ℈iij, syrupi cichorei c. rheo q. s. misce conterantur in mortario vitreo in mucum; cui adde syrupi cichorei c. rheo ℥iß, m. f. mane ac vesperi detur infantibus cochleare parvum ligneum, dosis sensim augenda.

MERCURIUS DULCIS.

Est mercurius sublimatus, mercurio vivo dulcificatus. *Versüstes Quecksilber. Aquila alba.*

Odor nullus; Sapor fere terreus.

Virtus resolvens, antivenerea.

Usus in omnibus morbis venereis, in fistulis inveteratis thoracis, abdominis, lumborum, perinæi, & vaginæ cum exitu urinæ, in antiquis ulceribus cruris, in aurifluxu fœtido, * in spina ven-

* *Cl.* Geisler *vom Nuzen des Calomels* Vide in *Schwed. Abh.* 30 B. 336 S. Celeberrimus author mox dictos morbos sequentibus pilulis curavit. ℞. Calomel. opt. ʒiij, camphoræ, croci aa ʒj, theriacæ Andromachi ℥ß, m. f. pil. gr. ij, f. mane ac vesperi duæ pilulæ assumantur, dosis omni hebdomade una pilula augeatur.

tofa, * in eryfipelate chronico, ** in angina gangrænofa & membranacea, *** in hydrocephalo interno. ****

Dosis. Mane ac vefperi grana duo dentur in forma pilulari vel omni trihorio granum unum in folutione aquofa detur. Aquæ ℥ij folvunt unum granum mercurii dulcis. Scopo purgandi dantur mercurii dulcis grana x.

Præparata:

Calomella eft mercurius dulcis *fepties* fublimatus, & *Panacea Lemeriana* eft mercurius dulcis *quindecies* fublimatus. Usus idem eft ac mercurii dulcis. Dosis aliquantum major effe poteft, cum fit eo aliquantum inertior.

---

* *Cel.* TRIOEN *ofervat. medico-chirurg. p.* 114.

** *Medical Transactions published by the college of phyfi. in London.* Vol. II. Lond. 1772.

*** *Ill.* RICHTER *Ch. Bibl.* 5 B. 4 St. p. 737. fed ad falivationem usque dari debet: qui angina gangrænofa affecti falivare incipiunt, evadunt & p. 744, in angina membranacea mercurius dulcis laudatur.

**** *Cel.* DOBSON hydrocephalum internum ufu mercurii curavit, at *Cel.* WILMER infanti hydrocephalico granum unum aquilæ albæ omni trihorio cum juncta fimul inunctione mercuriali fruftra adhibuit. *Samml. für pract. Aerzte.* 5. *B.* 3. *St.* 569. *S.*

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Eſt ſal metallicus ex *mercurio* & multo *acido ſalis* conſtans. *Ezender Quekſilber Sublimat.*

Odor nullus; Sapor metallicus, deterrimus, ingratiſſimus.

Virtus antivenerea, ſolvens, *majori doſi* venenum atrociſſimum, *minori doſi* medicina efficaciſſima.

Usus in morbis venereis præſertim oſſium & vaſorum minimorum, in maculis corneæ, in herpete & ulceribus chronicis crurum aliarumque partium, in tinea.

Sed illi, qui pectus ſiccum habent, qui tuſſi vexantur, quorum ſyſtema nerveum valde mobile eſt, qui hæmorrhagiis ſubjecti ſunt, citra detrimentum hoc remedium non ferunt, licet etiam copiam decoctorum mollium ſuperbibant. *

Dosis. Granum medium mercurii ſublimati in ℥ij alicujus decocti bis de die datur.

Solutio aquoſa ex granis vi mercurii ſublimati in ℔j aquæ deſtillatæ & ℥j ſyrupi amygdalati conſtat. Bis vel ter de die cochleare unum in decocto ſarſaparillæ hauritur.

---

* Hæc ſunt ipſiſſima *Ill.* L. B. *van* Swieten verba. Vide *Comment. T. V. Lugdani Batav.* p. 556 & *Ill.* L. B. *de* Stoerck *ann. med. ſecund.* p. 223 & ſeq.

Solutio spirituosa ex granis vj mercurii sublimati ℔j spiritus frumenti & ℥j alicujus syrupi constat. Usus est ut in priori solutione.

Pilulæ sublimati: ℞. mercurii sublim. corros. gr. xv. solve in aquæ destillatæ ʒvj, decantato liquori adde micæ panis albissimi ʒiiß, m. f. pil. 120. s. mane ac vesperi assumantur pilulæ duæ. Sed tutius datur sublimatus in solutione quam in pilulis, * præsertim si solutio aquosa cum syrupo amygdalino & pauxillo aquæ cinamomi misceatur.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

Est *calx mercurii* ex *acido nitri* ope *acidi salis* præcipitata. *Weisser Quecksilber - Präcipitat.*

Odor nullus; Sapor nullus.

Virtus antivenerea.

Usus. In morbis venereis præsertim ossium laudatur.

Dosis. Mercurii præcipitati albi granum unum cum granis x sacchari albi purissimi diu in mortario vitreo triti detur omni trihorio. **

---

* *Cel.* Moench's *Bemerkungen über einige einfache und zusammengesezte Arzneymittel. Frankfurt* 1781. p. 30. & p. 33.

** *Ill.* Van Swieten *Comment. T. V.* p. 532.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

Eſt *calx mercurii* ex *acido nitri* abſtracta. *Rother Quekſilber-Präcipitat.*

Odor & Sapor nullus.

Virtus antivenerea, cauſtica.

Usus in morbis venereis, præſertim in furunculis venereis.

Dosis. Mercurii præcipitati rubri grana ij in decocti bardanæ ℔iv ſoluta dentur de die. *

MERCURIUS CALCINATUS.

Eſt mercurius vivus igne aliquantum mutatus, ſeu aëre dephlogiſticato imbutus. *Calcinirtes Quekſilber. Mercurius præcipitatus per ſe. Von ſelbſt entſtandener Quekſilberniederſchlag.*

Odor & Sapor nullus.

Virtus antivenerea. Summum luis venereæ gradum curare dicitur. **

---

* *Ill.* I. B. *de* Stoerck *ann. med. ſecund. p.* 223 *& ſeq.*

** *Cel.* Levison *Beſchreib. der Londoniſchen Medicin Praxis. Berlin* 1782. 2. Th. p. 191. *Dieſe Methode, mit warmen Bädern verbunden ſehlt nicht, die Seuche im höchſten Grad zu heilen, man muſs damit anhalten, bis alle Symptome verſchwinden*; dicit *Cel.* Author, ſed addit inſimul decoctum mezerei cum ſarſaparilla. Vide Mezereum.

Dosis. A gr. j ad ij & iij ſenſim datur. Maxime uſitata eſt ſequens *formula*: ℞. mercurii calcinati gr. ij, ſulphuris antimonii aurati gr. iij, extract. thebaici gr. ß conſervæ cynosbati q. s. ut fiat bolus omni nocte hora decubitus ſumendus.

MERCURIUS ACETATUS.

Eſt mercurius calcinatus vel præcipitatus per ſe aceto ſolutus. * *Eſſig-Quekſilber.*

Odor aceſcens; Sapor nullus.

Virtus antivenerea, ſolvens, purgans, diuretica.

Usus in lue venerea.

Dosis. Granum unum de die. Ex hoc mercurio cum manna, vel gummi arabicò ſubacto parantur *piſa antivenerea Keyseri.*

MERCURIUS NITROSUS.

Eſt mercurius in acido nitri ſolutus. *Salpetrichtes Quekſilber.*

Odor peculiaris, ingratus; Sapor acidiſſimus, cauſticus.

---

* *Cel. Von* Horne *Abh. von den verſchiedenen Methoden das Quekſilber in den Veneriſchen Krankheiten zu gebrauchen. Leipzig* 1782. *p.* 83. & *Sammlung für pract. Aerzte I. B.* 3. *St.* 152. *S.*

VIRTUS antivenerea, diuretica, purgans.

USUS in morbis venereis inveteratis. *

DOSIS. A guttis iij ad v aqua dilutus datur.

MERCURIUS TARTARISATUS.

Eſt mercurii vivi pars una cum partibus duabus cremoris tartari contrita. *Weinſtein-Quekſilber.*

ODOR nullus; SAPOR acidus.

VIRTUS antivenereo-antiſcorbutica. **

DOSIS. A granis v. ad x. datur.

ÆTHIOPS MINERALIS.

Eſt *mercurius vivus ſulphuri* junctus. *Mineraliſcher Mohr.*

ODOR nullus; SAPOR mitis, ſulphureus.

VIRTUS attenuans, antivenerea, anthelminthica.

USUS in ſcabie, ſcrophulis, lue venerea, præſertim phtiſi venerea.

DOSIS ad ℈j quotidie.

CINNABARIS FACTITIA.

Eſt *mercurius vivus* mediante igne ſulphuri intime junctus. *Gemachter Zinnober.*

---

* *Cel.* SELLE *Medicina clinica p.* 520.

** *Cel.* SELLE *l. c. p.* 522.

ODOR & SAPOR nullus.

VIRTUS. Cum in aqua indiſſolubilis ſit & cum in foecibus alvo excreta ſæpius viſa fuerit, hinc ultra primas vias agere non cenſetur.

USUS in morſu canis rabidi.

DOSIS ad ℈j de die.

ARSENICUM ALBUM.

ARSENICUM nudum. L. Weiſſer Arſenik. Eſt ſemimetallum ex phlogiſto & acido propriæ indolis conſtans.

ODOR nullus, accenſi vero alliaceus; SAPOR nullus.

VIRTUS in majori doſi venenata, in minima anticancroſa cenſetur.

USUS in cancro. *

DOSIS. Arſenici albi gr. ij ad ℔j aquæ & ſyrupi cichorei c. rheo ℥ß S. mane ac veſperi detur cochleare unum cum ſyrupi diacodii ʒß & lactis ℥j. Octiduo elapſo cochlearia duo & iterum quatuor-

---

* *Cel.* LE FEBURE *bewährtes Mittel den verborgenen und offenen Krebs aus dem Grund zu heilen. Frankfurt.* 1776. & *Cel.* RICHTER *Ch. Bibl.* 3. *B.* 3. *St.* 383. *S.* dicit *D.* LE FEBURE 200 cancroſos ſic fuiſſe ſanatos. Utinam res eſſet vera; ego ſemel hanc ſolutionem præſcripta methodo in cancro labii ſuperioris adhibui; at experimentum omni ſucceſſu caruit.

decim diebus elapſis tria cochlearia ſolutionis mane ac veſperi aſſumuntur. *

Externe ſolutione arſenicali cancer eluitur & dein applicatur. Vide in *materia chirurgica arſenicum album.*

AQUOSA.

AQUA SELTERANA.

Eſt *acidula* in *Epiſcopatu Trevirenſi* ſcaturiens. *Selzerwaſſer.*

Odor nullus. Sapor titillans, acidulus, leviter ſalſo-alcaleſcens, mitis.

Contenta: ſal alcali minerale, ſal commune, magneſia aerata, aër fixus multus.

Virtus abſtergens, ſolvens, diuretica.

Usus in ulceribus chronicis crurum cum lacte, in tumoribus induratis, frigidis, in hæmorrhoidibus, * in calculo renum & veſicæ.

Dosis a ℔j ad ℔iv.

AQUA PIRMONTANA.

Acidula in *Principatu Waldeccenſi* ſcaturiens. *Pyrmonter Stahlwaſſer.*

* *Ill.* Bergman *opuſc. vol.* I. p. 226.

Odor nullus. Sapor gratiſſimus, ſubaceſcens, titillansque fere inſtar vini Campaniæ, ſed ſimul martialis & amaricans.

Contenta : præter multum aeris fixi continet ferrum, ſalem amarum, calcem & magneſiam.

Virtus roborans, diuretica, ſolvens.

Usus in tumoribus arthriticis & hæmorrhoidibus, in prolapſu.

Dosis. A ℔ij. ad ℔iv.

AQUA SPADANA.

Acidula in *Epiſopatu Leodinenſi* ſcaturiens. *Spaawaſſer.*

Odor nullus; Sapor martialis, ſubalcaleſcens, mitis, parum titillans.

Contenta : Minus continet aëris fixi quam ſpadana, præter ferrum habet magneſiam & alcali minerale.

Virtus roborans, tonica, alvum conſtipans.

Usus in prolapſu uteri, inteſtini recti, in gonorrhæa mucoſa. *Nocet* plethoricis, ſcirrhoſis, hæmorrhoidariis.

Dosis a ℔j ad ℔iv.

AQUA CALCIS.

Eſt aqua *terra calcarea* ope *materiæ cauſticæ* impprægnata. *Kalkwaſſer.*

Odor

Odor nullus; Sapor adſtringens. ℥j continet $1\frac{1}{4}$ granum calcis vivæ.

Virtus attenuans mucum, abſtergens, roborans, lithontriptica, antiſeptica, anthelmintica.

Usus in calculo renum & veſicæ, in ulcere quocunque, in cancro,* in carie, in oſſium mollitie.

Dosis. A ℔j ad ℔ij de die cum lacte datur.

AQUA MARINA.

Eſt aqua *pelagum* conſtituens. *Meerwaſſer.*

Odor nullus. Sapor nauſeoſus, ſalſo - amarus. Hoc nauſeorum in profundo 60 orgyarum vix ſentitur.

Contenta ſunt magneſia ſalita, ſal marinus & principium nauſeoſum. * *

Virtus ſolvens, diuretica, eccoprotica, inaſſuetis emetica, longo uſu ſeptica & ſcorbutum inducens.

Usus in ſcrophulis & morbis ſcrophuloſis. * * *

Dosis. ℔j de die bibatur.

---

* *Cel.* Baumbah *diſs. de curatione cancri occulti & aperti per aquam calcis vivæ potum præſtita. Goetingæ.* 1769.

* * *Ill.* Bergman *opuſ. phyſica & chemica. Vol.* 1. *Holmiæ* 1779. p. 182. *de aqua pelagica.*

* * * *Cel.* Russell *de tabe glandulari. & Illuſtr.* Gaubii *adverſaria.*

ANIMALIA.

SPONGIA MARINA.

SPONGIA *Officinalis L. Baadſchwamm.* Eſt domicilium vermis cuiusdam marini.

ODOR et SAPOR nullus. Deſtillatione largam quantitate ſalis alcalini dat.

VIRTUS ſpongiae *uſtae* reſolvens, exſiccans.

USUS in ſtruma *.

DOSIS. Ad ℈ij de die datur. Quæ circa ejus uſum ad phaſes lunæ adcommodandum præcipiuntur, prudentiores negligunt.

MILLEPEDES.

ONISCUS *Aſellus* L. *Kellereſel.* Eſt inſectum in cellis ſub ſaxis humidis ubivis reperiundum.

ODOR nullus; SAPOR mollis, ſubacris.

VIRTUS attenuans, diuretica, alcalina.

USUS in amauroſi et cataracta incipiente, in ulceribus cacoethicis et tumoribus mammarum, in ſtruma.

---

* *Samml. für Aerzte* 5. *B.* 4. *St.* p. 729.

Dosis. Succus ex centum insectis exprimatur et cum juris ℔j detur. *Pulvis* minus est efficax et ad ʒß porrigitur.

MOSCHUS.

Moschus Moschifer L. Bisam. Est substantia subpinguis e folliculo ad umbilicum sito.

Odor fragrans.

Virtus antispasmodica, nervina.

Usus in tetano a vulnere, * in rabie canina, in dysphagia paralytica et spasmodica. * *

Dosis. ℈j datur in bolo.

CANTHARIS.

Meloe vesicatorius L. Spanische Fliege.

Odor et Sapor deterrimus, piceus. * * *

---

* *Cel.* Hillary *diss. of Barbad.* p. 233. & *Cel.* Huck *med. ob. and inquiries* Vol. 3. p. 326. observarunt miscelam opii cum moscho efficacius & citius tetanum curare quam opium solum.

* * *Cel.* Mursina *Beobachtungen. 1. Sammlung.*

* * * *Cel.* Forsten *disquisitio medica cantharidum. Argentorati.* 1776.

Virtus in *exigua* dosi diuretica, diaphoretica, aphrodisiaca, mucum solvens, stimulans. *

Usus in rabie canina, * in ischuria frigida, ** seu paralytica, in enuresi, in hydrope, gonorrhœa chronica, *** in morbis cutaneis chronicis. ****

Dosis. Granum *unum* datur in bolo. *Tincturæ* forma, quæ ex cantharidum ℥ij, coccionellæ ʒß et spiritus vini simplicis sesquilibra paratur, securissima et commodissima exhibendi methodus est. Hæc a guttis x ad xxx bis de die cum decocto hordei, vel syrupo altheæ, vel mucilagine gummi arabici dari potest. Potest dosis tincturæ quotidie aliquot guttulis augeri, donec

---

* *Cel.* Stockar a Neufforn *diss. de usu cantharidum interno. Göttingæ* 1781.

** *Cel.* Stockar *l. c.* p. 47. *Ill.* Werlhofii *opera omnia curante* Wichmanno 1775. p. 699. Dat cantharides cum camphora & mercurio dulci. Illorum, qui post rabidi animalis morsum hoc remedio usi fuerant, neminem unquam in hydrophobiam incidisse testatur. Cum ægrotus minxerit sanguinem, tunc jam securabitur a timore aquæ, verba sunt Avicennæ.

*** *Cel.* Mead & *Cel.* Werlhof cantharidum usum persæpe in gonorrhœa pertinaci cum fructu dederunt.

**** *Cel.* Mead *oper. omnia* T. II. p. 19. tincturam cantharidum in lepra & elephantiasi præstans remedium vocat. *Cel.* Brisbane *select. cases.* p. 14. hanc in aliis morbis cutaneis commendat.

levis ſtranguria in urinæ excretione percipiatur, doſis dein aliquantum iterum diminuenda eſt. Emulſio camphorata cum mucilagine gummi arabici parata brevi hanc ſtranguriam aufert.

VERMIS MAJALIS.

Meloe Proſcarabeus L. Mayenwurmkäfer. Vermes menſe Majo colligendi, ea cum cautela, ut forcipula, leviter abſque preſſione, ne exſudans mucilago perdatur, capti, ſtatim ollæ vel vitro melle aliquantum repleto, poſtea bene obturando, immittantur.

Odor nullus; Sapor acris.

Virtus antihydrophobica, diuretica. *Majori doſi* cauſtica.


Usus in morſu canis rabidi ad hydrophobiam avertendam.

Dosis. Adultis omni hora unum granum hujus inſecti cum aliquot granis nitri contriti datur. Continuetur hoc medicamentum, donec urina ſtranguriosa vel cruenta evadit, quamvis ſimul decoctum muciloginoſum deſuper hauriatur. *

Vulnus exterum ſacrificetur, pulvere cantharidum inſpergatur, et diu apertum ſervetur.

---

* *Bekanntmachung des ſpezifiſchen Mittels wider den tollen Hundsbiſz. Berlin* 1777. Et *Etwas über und wider den tollen Hundesbiſz. Hamburg.* 1782. *Cel.* Dehne author hujus ſcripti p. 68. dicit ſolo hoc inſecto interne dato ſex homines a cane rabido morſos fuiſſe ſanatos.



EMETICA.

RADIX IPECACUANHÆ.

VIOLA Jpecacuanhæ L. Brechwurzel.

ODOR graviusculus, subnauseosus; SAPOR amaricans, nauseosus.

VIRTUS. Dosi *majori* emetica, dosi *minori* alterans, sudorifera, antispasmodica, anthelminthica.

USUS. Vomitoria tumores a saburra primarum viarum ortos evacuando, & tumores chronicos, augendo vasorum absorbentium vim, persæpe resolvunt. Hinc utilia deprehendebantur.

In phlegmone. (a)

— erysipelate. (b)

— abscessu aurium. (c)

— otitide pituitosa. (d)

— parotide biliosa. (e)

— glossitide. (f)

(a) *Cel.* LIEUTAUD *synopsis universæ medicinæ. Amstelod..* 1765. P. I. 289.

(b) *Cel.* TISSOT *Avis au peuple* p. 288. *Cel.* STOLL *Rat. med. P.* II. p. 80. 172. 361.

(c) *Cel.* OST. SCHACHT *instit. med.* p. 167.

(d) HIPPOCRATES *lib. de affect.* T. II. p. 163.

(e) *Cel.* STOLL R. *m.* P. II. p. 54. 55. 203. 104.

(f) *Ill.* SAUVAGES T. 2. P. I. p. 89. *Cel.* ASTRUC. *de m. ven.* p. 264.

In abſceſſu faucium. (a)

— angina pituitoſa. (b)

— —— ſcarlatinoſa. (c)

— —— membranacea. (d)

— —— gangrænoſa. (e)

— —— maligna. (f)

— —— varioloſa. (g)

— —— ulceroſa putrida. (h)

— —— ſpaſmodica. (i)

— tumoribus metaſtaticis. (k)

— oedemate crurum. (l)

(a) *Cel.* GOHL *Einleit. p.* 164. *Ill.* RICHTER *Ch. Bibl. Vol.* v. P. II. p. 336.

(b) *Cel.* STOLL L. c. P. 2. p. 48.

(c) *Act. ſoc. med. havn. Vol.* II. p. 104. *Cel.* STOLL l. c. P. II. p. 33. *Samml. für Aerzte. Vol.* II. P. II. p. 293.

(d) *Schwed. Abh.* 33. *B.* p. 338.

(e) *Samml. für Aerzte Vol.* v. P. 3. p. 393. & *Vol.* II. P. I. p. 96.

(f) *Samml. für Aerzte Vol.* II. P. 2. p. 41. & *Cel.* STEIDMAN *med. Bemerk.* Vol. 2. p. 185.

(g) *Cel.* SAGER *ſyſtem.* p. 612.

(h) *Samml. für Aerzte.* Vol. v. P. II. p. 198.

(i) *Cel.* LIEUTAUD. *ſynops.* P. I. p. 367. & *Cel.* VOGEL *de cogn. & curand. morb.* p. 333.

(k) *Ill.* RICHTER *Ch. Bibl. Vol.* v. P. I. p. 117.

(l) *Diſput. pract.* HALLERI T. II. p. 187. & *Cel.* HOFFMANN *med. ſyſtem.* T. 3. p. 481.

In oedemate volatico. (a)
— tumore albo articulorum. (b)
— ſtrama (c)
— tumore rheumatico. (d)

Vulnera & ulcera, quæ vomitoria exigunt, ſunt:

Vulnera & ulcera a ſaburra bilioſa in pejus ruentia. (e)
Aphthæ. (f)
Ulcera oris. (g)
—— uteri. (h)
—— crurum. (i)

(a) *Cel.* BANG in *Act. ſoc. med. Havniens.* T. I. p. 189.

(b) *Cel.* BROWNE *Pathologiſche Unterſuch.* 1780. p. 119.

(c) *Cel.* SAGAR *ſyſt.* p. 48. *Samml. für Aerzte* Vol. V. P. IV. p. 730. *Cel.* WEIKARD *obſerv. med.* p. 88.

(d) *Cel.* ACKERMAN *vom Triſmus* p. 202. grana 8 ipecacuanhæ cum ℥ij mellis crudi pro doſi dat; ſine vomitu urinam & ſudorem valde motum vidit.

(e) *Cel.* STOLL T. II. p. 372.

(f) *Samml. für Aerzte Vol.* IV. P. I, p. 69. & *Cel.* STOLL P. 2. p. 211. & P. III. p. 6.

(g) CELSUS *opera Amſtel.* 1627. p. 386.

(h) RIVERIUS *opera Venetiis.* 1687. p. 62. & *Cel.* PYE in *med. Bemerk. und Unterſuch.* p. 239.

(i) HIPPOCRATES *de locis in homine* §. 47. *Cel.* COLLIN *obſervat.* P. III. p. 52.

Vulnera capitis anæſtheſiam ex cerebri commotione vel concuſſu inferentia. (a)

Tetanus a vulnere digiti ortus. (b)

Conveniunt denique emetica:

in herniis incarceratis. (c)

— prolapſu uteri. (d)

— iſchuria. (e)

(a) FABR. HILDANUS *Cent.* 2. obſ. 84. BALLONII *Pharos medicorum Genevæ.* 1668. p. 620. *Cel.* BOURDAU in *Ill.* HALLERI *diſp. pract.* T. VII. p. 150. *Cel.* BOUDAU in *Mémoires de l'Acad. de Chirurgie.* T. I. p. 119. refert caſum hominis ex alto in caput delapſi & atrocibus ſymptomatibus affecti, in quo ſexies ſecta vena nihil profuit, donec bis tartarum emeticum illi exhibuiſſet, ex cujus uſu mox ſigna quædam ſenſuum reſtitutorum edere cæpit. Similem caſum refert *Cel.* SCHMUCKER *Chir. Wahrnehm.* T. I. p. 474.

(b) *Cel.* TRNKA *tract. de tetano.* p. 461.

(c) *Ill.* RICHTER *Abh. von Brüchen. Vol.* I. p. 218. & *Ch. Bibl. Vol.* V. P. III. p. 456.

(d) RIVERIUS *opera.* p. 44. FORESTUS *lib.* XXVIII. obſ. 35. MERCATUS *Gynæciorum lib.* IV *Baſileæ* 1588. p. 268. 473. 274. RODERI A CASTRO *univerſa muliebrium med. Hamburg.* 1662. p. 265.

(e) *Cel.* LIEUTAUD *ſynop.* P. I. p. 269. irritis omnibus remediis ad emeticum tanquam ad ſacram anchoram confugere fas eſſe dicit, nonnullos enim cum morte jam luctantes, hocce præſidio tempeſtive adhibito ex orci faucibus ereptos vidit.

In variis oculorum morbis : ut in Nyctalopia. (a)

Hæmeralopia. (b)

Epiphora. (c)

Mydriasi. (d)

Leucomate. (e)

Ophthalmia. (f)

Amaurosi. (g)

In morbis *aurium* & *dentium* ut :

in Cophosi. (h)

— Odontalgia. (i)

(a) *Ill.* SAUVAGES T. II. p. 290. & 295. *Cel.* UNZER *Wochensch.* Vol. 3. p. 433.

(b) *Samml. für Aerzte* Vol. 4. P. 3. p. 208. *Ill.* RICHTER *Ch. Bibl* Vol. 1. P. IV. p. 125.

(c) FERNELIUS *lib.* 3. cap. 3.

(d) OST. SCHACHT *instit.* p. 150.

(e) *Cel.* SAGAR *systeni.* p. 17.

(f) *Cel.* STOLL P. 54. 55. & 102 ophthalmiam triplici emetico sanatam recenset.

(g) *Cel.* SCHMUKER *Vermischte Ch. Schriften* 2. *Band.* p. 16. *Ill.* RICHTER *Ch. Bibl.* vol. III. P. 2. p. 344. p. 351. 352. *Schwed. Abhandl.* vol. 1. p. 81.

(h) *Eph. N. C. dec.* III. *An.* II. *observ.* 256. *Samml. für Aerzte. Vol.* III. P. 1. p. 117.

(i) *Cel.* UNZER *Wochensch. Vol.* VI. p. 80.

in hæmorrhagia narium ſaburoſa. (a)

In morbis *periodice recurrentibus* ut:

in ophthalmia periodica (b)

— dolore oculorum periodico, (c)

— odontalgia periodica. (d)

Dosis. Adultis ſcopo *vomitum ciendi* in pulvere ad ℈j datur. Virtus emetica maximam partem in cortice radicis, minus vero in ipſa radice reſidet. Hinc corticis grana tria vel quatuor ciendo vomitui ſufficiunt, radicis vero ℈j vel ʒß ſæpe ad vomitum excitandum requiritur. Scopo *alterandi* granum dimidium cum ℈j ſacchari omni trihorio datur.

TARTARUS EMETICUS.

Eſt ſal metallicus ex *regulo antimonii* & *acido tartari* conſtans. *Brechweinſtein.*

Odor nullus; Sapor metallicus.

(a) *Cel.* Stoll P. II. p. 372. *Cel.* Macbride T. 2. p. 757.

(b) *Cel.* Stoll *rat. m.* Vol. II. p. 335. *Cel.* Unzer *Wochenſch.* Vol. VI. p. 315.

(c) *Cel.* Medicus *Geſchichte der periodiſchen Krankh.* p. 315.

(d) *Cel.* Medicus l. c. p. 315.

Virtus *majori* dosi emetico-cathartica. Dosi *minori* alterans, sudorifera, solvens, certius quam ipecacuanha simul purgans.

Usus in amaurosi * & aliis morbis, in quibus ipecacuanham laudavi.

Dosis. Adultis ad gr ij scopo *emetico* datur. *Scopo alterante* tartari emetici grana quatuor solvantur in aquæ cujusdam destillatæ ℔j, atque hujus mixturæ omni bihorio aut trihorio cochlear unum aut duo porrigantur.

VITRIOLUM ALBUM.

Est sal metallicus ex *zinco* & *acido vitrioli* constans.

Odor nullus; Sapor austerus.

Virtus cito vomitum movens; ideo

Usus in corpore heterogeneo in æsophago hærente. **

Dosis. Ut ipecacuanha ad ℈j datur.

TURPETHUM MINERALE.

Est sal metallicus ex calce mercurii & acido vitrioli constans. *Mineralischer Turbith. Mercurius luteus* seu *flavus. Gelber Quecksilber-Präcipitat.*

---

* *Cel.* Schmuker *chirurg. Wahrnehm.* T. I. p. 474. & *Ill.* Richter *observ. chirurg.* fasc. II. p. 85. multis observationibus tartarum emeticum in parva dosi administratum efficacissimum esse remedium in amaurosi dicit.

** *Ill.* Richter *Ch. Bibl.* 4. *B.* 1. *St.* p. 44.

Odor nullus; Sapor nauseosus.

Virtus emetico-antivenerea.

Usus. Potest in omnibus morbis venereis dari, in quibus emetica laudantur: ut in siphylide, * gonorrhæa virulenta, ** & benigna *** in phymosi, **** bubone & testiculo venereo, ***** hydrophobia. ******

Dosis a granis tribus ad quatuor.

---

* In siphylide emetica laudarunt *Cel.* MARGGRAVIUS *Prodromus medicinæ practicæ. Ludg. Bat.* 1685. p. 108. HARTMANNI *Praxis chymiatrica. Norimb.* 1677. p. 911. HOFFMANNUS *Prolusiones de remediorum delectu, Norimb.* 1727. p. 931. *Sylvius* p. 299. BONNETUS *thesaurus medicopracticus. Genevæ.* 1692. T. III. p. 494.

** *Cel.* BALLONIUS *Pharos Medicorum. Genevæ.* 1668. p. 489. & *Cel.* OFTERDINGER in *Ill.* TODE *Bibl.* Vol. I. P. II. p. 98.

*** *Cel.* ALLEN *Synops. med.* 1723. p. 264. & *Cel.* OSTERDIK SCHACHT *instit. med. Trajecti ad Rhenum* 1765. p. 351.

**** *Cel.* BROOCKES *Handbuch.* 1766. T. 2. p. 101. & *Cel.* OFTERDINGER l. c.

***** *Cel.* BROOKES l. c. T. II. p. 78. & 81. *Ill.* RICHTER *Ch. Bibl. Vol.* V. P. I. p. 120. *Cel.* HOME *Clinische Versusche.* p. 336.

****** *Ill. Van* SWIETEN *Comment.* T. III. p. 582. *Samml. für Aerzte Vol.* III. P. 447. & *Vol.* IV. P. IV. p. 303.

ECCOPROTICA.

MANNA CALABRINA.

FRAXINUS ORNUS L. Manna. Eſt ſuccus exſiccatus.

ODOR nullus; SAPOR melligenus, dulcis, ſubaceſcens.

VIRTUS eccoprotica, ſolvens, obtundens.

USUS in morbis a ſaburra bilioſa.

DOSIS. ℥iij in ſero lactis ſolutæ dentur.

PULPA TAMARINDORUM.

TAMARINDUS indica L. Tamarinden.

ODOR ſubvinoſus. SAPOR intenſe acidus, gratus.

VIRTUS eccoprotica, antibilioſa, refrigerans.

USUS in morbis a ſaburra bilioſa inteſtinali: ut in eryſipelate. Demum in intumeſcentia veſicæ felleæ a calculo fellis.

DOSIS. *Pulpæ* ℥ij cum ʒij cremoris tartari dantur forma electuarii. *Fructuum* ℥iv cum ℔j aquæ vel ſeri lactis decoquantur.

PULPA CASSIAE.

CASSIA Fiſtula L. Caſſien.

Odor nullus; Sapor acidulo-dulcis.

Virtus eccoprotica, diuretica, refrigerans.

Usus in morbis a ſaburra bilioſa.

Dosis. *Pulpæ* ℥ij forma electuarii dantur. Vel fructuum ℥iv cum aquæ ℔j decoquantur, aut pulpæ ℥ij cum aquæ ℥vj diſſolvantur.

PULPA PRUNORUM.

Prunus domeſtica L. Pflaumen. Zwetſchen.

Odor nullus; Sapor acidulo-dulceſcens.

Virtus ſolvens, eccoprotica, antibilioſa, refrigerans.

Usus in morbis bilioſis.

Dosis. *Pulpæ* ℥iij dantur forma electuarii cum ʒiij cremoris tartari. Supplet pulpam tamarindorum pro pauperibus, ſi pulveris foliorum ſennæ ℈j additur. Vel Prunorum enucleatorum ℥iij cum ℔j aquæ decoquantur.

RHABARBARUM.

Rheum palmatum L. Rhabarbera.

Odor radicis fragrans, nauſeoſus; Sapor amaricans.

Virtus purgans, roborans, tonica.

Usus in ſaburra inteſtinali, et ventriculi debilitate, in odontalgia.*

Dosis. In pulvere ʒj datur. Vel ʒiij cum aquæ ℥vj infundantur.

AQUA AMARA.

Acidula ſcaturiens in *Bohemia* circa pagum *Saydſchütz* & *Sedliz. Bitterwaſſer.*

Odor nullus; Sapor amariſſimus, ingratiſſimus.

Contenta: parum admodum aeris fixi, multum ſalis amari.

Virtus incidens, digeſtiva, purgans.

Usus in hernia a foecibus indurata, incarcerata.

Dosis. Vaſculatim datur, ſeu ab ℥ij ad ℥iij omni hora, in aliis morbis ſcopo purgandi ad ℔j.

SAL AMARUS.

Eſt ſal medius ex *terra magneſiaca* et *acido vitrioli* conſtans.** *Bitterſalz.*

* *Ill.* Bergius dicit in *mat. m.* p. 335. Si fruſtulum maſticatur & ſenſim deglutitur, roborat gingivas, fauces, æſophagum, atque dolenti denti applicatum & intra buccas retentum odontalgiam ſæpe curat.

** Ejusdem indolis eſt, *Sal Sedlizenſe*, *ſal Seidſchützenſe*, *ſal alpinum helveticum*, quod in ſchiſto paſſim reperitur, & *ſal Epſomenſe*, quod etiam *ſal catharticum anglicanum* dicitur.

Odor

Odor nullus; Sapor amaricans.

Virtus solvens, purgans.

Usus in morbis a saburra primarum viarum; in hernia a fœcibus incarcerata.

Dosis. Ab ℥iß ad ℥ij in ℔iß aquæ solutum scopo purgandi datur. In hernia incarcerata ad cochlearia duo omni quadrante horæ exhibetur.

SAL POLYCHRESTUM SEIGNETTI.

Est sal medius ex *alcali minerali*, ex *alcali vegetabili fixo* atque *acido tartari* constans. *Seignetts Polychrestsalz*.

Odor nullus; Sapor amaricans, sale mirabili gratior.

Virtus incidens, resolvens, diuretica. Majori dosi laxans.

Usus prioris.

Dosis. A ʒj ad ʒiij scopo resolvendi, ad ℥ß scopo purgandi datur.

CREMOR TARTARI.

Est sal medius ex plurimo *acido tartari* et pauco *alcali vegetabili fixo* constans. *Weinsteinrahm.*

Odor nullus; Sapor acido-salinus.

VIRTUS antibiliosa, antiphlogistica, diuretica, solvens, *majori dosi* eccoprotica.

USUS in morbis a saburra biliosa primarum viarum: ut erysipelate bilioso, carbunculo, mala suppuratione vulneris, ulceris, in angina & ophthalmia gastrica, demum in tumoribus hydropicis, in hæmorrhoidibus cæcis, in calculo felleo & inde nata intumescentia vesiculæ felleæ.

DOSIS. Scopo purgandi ab ℥ß ad ℥j cum pulpa tamarindorum datur. Scopo alterandi ʒß bis, ter de die.

PRÆPARATA:

Electuarium eccoproticum. Pulpæ prunorum ℥ij, cremoris tartari ℥ß, fol. sennæ ʒß, *m. f.* omni hora nucis magnitudine.

Limonada tartarea. Cremoris tartari ℥ß, syrupi papaveris albi ℥j, aquæ fontanæ Mens. j. m. f. pro potu vasculatim.

OLEUM RICINI.

RICINUS communis L. Wunderbaumöl. Kaftoröl. Est oleum e seminibus pressum, vocatur etiam *oleum palmæ Christi.* *

---

* *Cel.* CANVANE *diss. on the Oleum palmæ Christi.* s. *oleum ricini, or as it is commonly called Castor - oil* &c. *Lond.* 1769.

ODOR olei recentis nullus; SAPOR blandus.

VIRTUS purgans, enthelminthica, blanda.

USUS. Tuto datur etiam in inflammatoriis morbis: ut in hernia incarcerata, angina, gonorrhœa, tænia.

DOSIS. Ab ℥ß ad ℥j adultis. A ʒj ad ʒij infantibus cochleatim datur. Sæpe cochlear unum jam alvum ducit.

MAGNESIA.

MAGNESIA ſalis amari. Weiſſe Magneſia. Eſt terra ex ſale amaro elicita.

ODOR nullus; SAPOR terreus.

VIRTUS cathartica, acidum abſorbens, antacrimonioſa *

USUS. Acido laborantibus utile purgans, ut & infantibus atque hæmorrhoidariis.

DOSIS. Scopo purgandi adultis a ʒj ad ℥ß in emulſione vel aqua datur. *Infantibus* a gr. v ad x in lacte præbetur.



PURGANTIA ACRIORA.

SCAMMONIUM.

CONVOLVULUS Scammonia L. Scammonien. Eſt ſuccus inſpiſſatus ex radice effluens.

* *Cel.* HUNDERTMARK *diſs. de ſaccharo ſaturni.*

Odor hujus ſucci foetidiuſculus. **Sapor** ſubvitriolicus, nauſeoſus.

Virtus draſtice purgans, excrementa reddens foetidiſſima. *

Usus in tumoribus & morbis frigidis.

Dosis granis v ad x & xv. *Reſina ſcammonii* ad gr. x. cum amygdalis vel ovi vitello trita, aut in ſpiritu vini addito ſyrupo ſoluta, vel in maſſa pilurari exhibetur.

A L O E.

Aloe perfoliata L. Aloe. Eſt ſuccus inſpiſſatus e foliis.

Odor graveolens, nauſeoſus, in crocum incidens. **Sapor** amariſſimus, diu faucibus inhærens.

Virtus purgans at ſimul ſtimulans, ſanguinem excandefaciens, anthelminthica, ſtomachica, menſes & hæmorrhoides pellens. Hinc gravidis & hæmorrhoidariis non convenit aloë.

Usus in ſaburra viſcoſa primarum viarum, in menſibus & hæmorrhoidibus provocandis.

Dosis. Scopo purgandi aloës depuratæ grana 30 cum totidem granis ſaponis veneti in forma pilulari dantur.

---

* *Ill.* VAN SWIETEN *Comment.*. T. I. p. 8. T. IV p. 377.

RADIX JALLAPÆ.

Convolvulus Jalappa L. Jalappenwurzel.

Odor debilissimus. Sapor acriusculus, ingratus.

Virtus purgans, hydragoga, anthelminthica.

Usus in morbis a saburra intestinali, aut a vermibus.

Dosis. Pulv. radicis ad ʒß cum cremoris tartari anatica portione datur. *Resina* ad grana x cum amygdalis trita, vel in spiritu vini addito syrupo soluta datur.

FOLIA SENNÆ.

Cassia Senna L. Sennesblätter.

Odor subaromaticus; Sapor amaricans, nauseosus.

Virtus purgans, at tormina sæpe excitans. Stipites non plus quam folia tormina excitant. *

Usus in morbis a saburra intestinali.

Dosis. Foliorum ʒß in pulvere vel electuario datur. ʒiij cum aquæ ℥vj infunduntur. *Folliculi* sennæ eadem dosi in infuso dantur.

Infusum sennæ ex ℥iß foliorum, mannæ electæ ℥iij paratur, cui saporis gratia succus citri & syru-

* *Ill.* Bergius *m. m.* p. 329. cum stipitibus solis aqua infusis experimenta instituebat, & vidit stipites non magis quam folia sennæ torminosos esse.

pus rubi idæi q. p. additur. Quovis bihorio ℥ij ſumantur.

HERBA GRATIOLÆ.

GRATIOLA officinalis L. Gottesgnadenkraut. Wilder. Aurin.

ODOR nullus; SAPOR intenſe amarus, ingratus.

VIRTUS purgans, hydragoga, quandoque emetica, ſimul anthelmintica. *Extractum* eſt egregium ſolvens.

USUS in morbis a ſaburra & in hydrope. *Extractum gratiolæ* ſcopo alterandi ad grana IV vel V mane & veſperi datum in ſcrophulis, tumoribus oedematoſis, arthriticis, in amauroſi, in ulceribus venereis & carioſis inveteratis, in tophis, teſticulo venereo, bubonibus, leucorrhæa venerea* utile eſt.

DOSIS. Pulvis foliorum ſcopo purgandi ad ℈j datur. ℈ij ſæpe uſque in diem poſterum leniter alvum laxant. Scopo purgandi ℈ß extracti forma pilulari et herbæ ʒj cum aquæ ℥iv forma infuſi exhibetur.

RADIX SENEKA.

POLYGALA Senega L. Senekawurzel.

ODOR peculiaris, ingratus. SAPOR calidiuſculus, ſubacriuſculus.

---

* *Cel.* KOSTRZEWSKI *diſs. de gratiola. Viennæ* 1775. p. 50.

VIRTUS purgans, ſubemetica, diaphoretica, diuretica, expectorans, anticolubrina.

USUS in morſu colubri Crotalophori externe forma cataplaſmatis & interne forma decocti datur. * Prodeſt etiam in tumoribus hydropicis.

DOSIS. Radicis Senekæ ℥ß in aquæ ℔iß coquatur, & colaturæ ℥iij bis de die hauriantur. Hoc decoctum novies vel decies alvum movet & urinam copioſe elicit. **

PULPA COLOCYNTHIDIS.

CUCUMIS Colocynthis L. Coloquinte.

ODOR debilis, ingratus; SAPOR amariſſimus, nauſeoſus, acriuſculus.

VIRTUS draſtice purgans cum vehementiſſimis torminibus, abortiva.

---

* *Cel.* TENNENT *phyſical diſquiſitions.* P. 2. *London.* 1735. curationum feliciſſimarum a Penſilvanis ſylveſtribus in morſu venenatiſſimi ſerpentis Crotalophori clam perfectarum diuturnus ſpectator fuit. Valuit adhuc, cum ſanguis jam e pulmonibus excuteretur, labia vulneris livida & corpus totum tumefactum in demorſo erat. Etiam in morſu *Colubri Beri* radix auxilium attulit. *Ill.* LINNÆI *Amoenit.* T. VI. p. 212.

** *Cel.* MILMAN *animadverſiones de natura hydropis.* p. 119.

Usus. *Tinctura colocynthidis* in dentium dolore laudatur, in * gonorrhæa & morbis venereis. **

Dosis. Tinctura ad guttas 15 purgat. *Extractum aquosum* ad gr. ij datur, ubi alia purgantia fallunt.

Extractum catholicum ad ℈ß

—— *panchymagogum Crolii* ad ℈ß vel gr. xv datur.

ELATERIUM.

Momordica Elaterium L. Eselskürbssaft. Cucumis asininus. Est succus inspissatus e pomis emanans.

Odor nullus; Sapor acris, subamaricans, mordens.

Virtus drastice purgans, hydragoga, abortiva.

Usus in morbis, ubi alia purgantia alvum non movent.

Dosis a grano uno incipiendum.

RADIX LOBELIÆ.

Lobelia siphilitica L. Blaue Cardinalsblume.

Odor virosus; Sapor tabacinus, acris, linguæ adhærens.

---

* *Ill.* Murray *Ap. med.* T. 1. p. 410.

** *Cel.* Wedel *Amoen. mat. med.* p. 250 Seminum, quæ mitius purgant, infuso cerevisia parato chirurgus multos in lue venerea curavit.

Virtus emetica, draſtica, antivenerea. *

Usus. Feri Americæ ſeptemtrionalis hanc radicem jam dudum inſtar arcani in lue venerea adhibuerunt, atque hunc morbum æque feliciter vincunt, ut Europæi mercurio. In pertinaciori malo admiſcent radicem *Ranunculi abortivi*, & hoc decocto ſimul ulcera eluunt, aut ulcera putrida conſpergunt cortice interiori *Ceanothi americani L.*

Dosis. Radicis manipulus unus coquitur in aquæ menſuris tribus, & ter de die libra una bibitur.

HERBA DIGITALIS PURPUREÆ.

Digitalis purpurea L. Fingerhutblume.

Odor nullus; Sapor amarus ingratus, exulcerans os, fauces, oeſophagum.

Virtus emetico - draſtica, torminoſa, reſolvens, majori doſi venenata.

Usus in ſcrophulis, ulceribus ſcrophuloſis, ** in tu-

---

* *Ill.* Linnei *Amoenit. acad.* T. 4. p. 518. & ſeqq.

** *Cel.* Percival *pract. Eſſays on medical ſubjects* p. 47. Convaluit vir, variis corporis locis ſcrophuloſis ulceribus tentatus in crure dextro tam diris, ut de amputatione jam cogitaretur, uno cochleari ſucci bis intra 14 dies cum dimidia pinta cereviſiæ calidæ inter dira ſymptomata hauſto, & applicata quotidie herba poſt expreſſionem reſidua. Alius vir ſcrophuloſus tumore lurido cubiti dextri per triennium ſub diriſſimis doloribus laborans quatuor præbiis ſucci per intervallum unius menſis integre fere ſanatus

moribus induratis mammæ & parotidum. *

Dosis. Succi expressi cochleare medium, vel si æger robustus est, integrum in mensura una aquæ dilutum omni die sensim datur.

---

legitur. Multum levaminis cochlear unum succi in cerevisia sumpti feminæ conciliavit, quæ scrophuloso tumore oculi, fissuris labii superioris insigniter tumidi, tumoribus articulorum in digitis & continuo fere artuum dolore affligebatur; sed ob nimiam remedii violentiam ab ulteriori usu cessavit. Vide etiam HALLERI *hist. stirp. helv.* n. 330. & *Aereal influences* p. 49. & 50. ubi hereditariæ scrophulæ notantur curatæ.

* *Ill.* RICHTER *Ch. Bibl.* 4. *B.* 3. *St.* p. 591. succo herbæ digitalis interne dato mammas scirrhosas plurimum diminuebat. Aliam historiam mammæ & parotidum induratarum succi digitalis cochleari uno in mensura aquæ diluto intra 18 dies curatarum refert *Cel.* MAYER in RICHTERS *Ch. Bibl.* 5. *B.* 3. *St.* 531. *S.*



INDEX

A.

INDEX.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

INDEX

L.

M.

N.

O

P.

Q.

R.

S.


T

V

X

Z






24ColorCard
CameraTrax.com